




C



*Hist. germ.
Hist. imp. C. 401.*



PRÆFATIONIS ORATORIA
 Consultativa et Eucharistica
 In quinq; factis distributa; quã, in cer-
 tas singulã consultationes digesti, sub fic-
 tis Personarum integumentis, cum quãdam effec-
 tissimi hujus, per universam Germaniam, status
 causã sint, tum quo pacto illã tolli et præ-
 sentibus malis medicina parari possit; sin-
 cero et verò Germano candore, exponunt, et
 sub finem hymnos Eucharisticos, pro præ-
 tito hæcenus divina liberationis auxilio
 piè subiungunt; in Ducali Gymnasio
 Stetinensi exhibitã
 Per
 M. Martinum Leuschnerum
 ibidã Rectorem et Phil:
 Prof:

*Accessit etiam Oratio fœderis, ab
 Sereniss. ac Invictiss. REGIS SVECIE editã.
 STETINI TYPIS et IMPENSIS DAVI-
 DIS PHEI Anno 1633.*



ILLUSTRISSIMO, CELSISSIMO, ET
REVERENDISSIMO PRINCIPI AC
DOMINO,

DN. BOGISLAO XIV.

DVCI STETINI, POMERANORUM,
CASSUBIORUM, ET VANDALORUM;
PRINCIPI RUGIÆ; ELECTO
EPISCOPO CAMINENSI; COMITI GUTZCOVIÆ; TER-
RARUM LEOBURGENSIUM ET BUTOVIEN-
SIUM DYNASTÆ, &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

*Longævam vitam, exoptatam incolumitatem,
felicitemq; Perpetuam.*

Illustrissime, Celsissime,
& Reverendissime Princeps ac Domi-
ne, Domine & Evergeta Clementissime; an-
nus jam agitur duodecimus, ex quo Ego,
quamvis indignus, ex Illustriss^a & Reverendis^s Celsitu-
dinis vestræ clementissimò consensu ac mandatò, in Illu-
stri hoc Pædagogio; quod Illustriss^a & Reverendis^s Celsi-
tudo

tudo vestra, sub tam diris temporum difficultatibus, liberalitate & magnificentiâ penè Regiâ, non solum adhuc clementer conservat, sed laudabiliter etiam, adjunctis ferme quotannis novis redivisibus, auget, & amplificat; docendi munus sustineo: per quod quidem tempus omne, quò conatu, quâq; animi sollicitudine, ut Spartam mihi concreditam decenter ornarem, annisus fuerim, ille καὶ θεὸς γινώσκῃ DEUS, & animus mihi meus testis est locuples. Utrum verò scopum mihi unicè præfixum, & anxio mentis oculorumq; obtutu usq; petitum, semper attigerim, eorum esto iudicium, qui rem literariam intelligunt, quosq; Illustriss^a & Reverendiss^a Celsitudo vestra, nobis omnibus Ephoros ac Inspectores sapientissimè constituit Ego sanè, cum intelligerem, Sapientissimos ac Christianissimos, Illustrissimæ & Reverendissimæ vestræ Celsitudinis majores; quòd sapienter iudicarent, ad laudabilem ac florentem Reipubl. statum, nullâ re opus esse magis, quàm benè constitutis Scholis; præter alia, in juvandâ re Christianâ & salute publicâ, merita plurima, *Hoc etiam Ducale Lyceum* clementer fundasse, eximijsq; Redivisibus liberalissimè donavisse; ut non solum *Nationis Pomeranicæ*, sed plurimarum etiam aliarum Regionum seminarium esset; ex quò, veluti ex *Equò Trojanò*, literati juvenes prodirent plurimi, qui futurò tempore, in omnibus tribus Hierarchijs, utiliter adhiberi possent; non potui non curis stimulari maximis, ne quâ in parte, quantum quidem in me esset, quamdiu pretiosissimi Hujus Ducalis καμηλίσ regendi cura infirmis meis humeris incumberet, à laudatissimâ
Illustriss^æ

Illustris & Reverendis Celsitudinis ac Clementiæ ve-
stræ intentione exorbitarem, neve meâ incuriâ ac culpâ
committerem, ut salutaris Hæc veræ pietatis & honestioris
literaturæ officina minus decenter curata videretur, aut
apud indigenas exterôsve malè audiret. Movitq; hoc me
eò vehementiùs, quòd Matriculam quoties inspiciebam
nostram, inde addiscebam, præstantissimos quosq; non
solùm *Pomeraniæ*, sed multarum etiam aliarum Regio-
num viros, quæ quasi lumina ac columina Rerum publ.
suarum vel olim fuissent, vel jam essent, in *hoc Ducali Ly-
ceò*, prima laudabilis Vitæ fundamenta feliciter jecisse.
Quæ quidem res curas mihi in immensum penè auxit, fe-
citq;, ut, quicquid etiam facerem, viderer tamen mihi lon-
gissimè ab illâ perfectione abesse, cuius adeptionem mihi
præfixam habebam, quamq; anxij suspirijs exoptabam.
In primis autem in eò mihi laborandum putavi, ut fidei
meæ commissæ juventuti prima Philosophiæ & Orato-
riæ rudimenta, pro exiguò ingenij mei talentulò, fideliter
monstrarem, talesq; Discipulos meos ex *Ducali hoc Lyceo*
dimitterem, qui in Academijs & Universitatibus, majori
deinceps cum fructu & feliciore progressu, suam quisq; fa-
cultatem excolere, ad suumq; Vitæ genus aptius se præpa-
rare ac instruere possent. Quam quidem piam meam
intentionem & curam, succurrente benedictione divini
numinis; cui soli laus sit & gloria, in plerisq; speratus even-
tus non fefellit. Senti enim & Ego Deum piè se invocan-
tibus adesse, eorumq; laboribus ex altò benedicere, inq;
non paucis labores meos piè susceptos nequaquam fuisse

irritos, non sine ingenti voluptatis & gaudij sensu animadverti. Porro cum viderem, artium & Disciplinarum præceptiones, nisi prudens accederet praxis ac diligens veriusus commonstratio, obesse magis, quam prodesse Discipulorum progressui, ubiq; breves illas esse volui, earumq; usum in communi vitâ, pro angustâ ingenij ac judicij mei capacitate, fideliter ostendendo & inculcando, Discipulos pedetentim, aliud quasi agendo, eò perducere studui, ut, quantum illæ in Vitâ civili; in negotijs & disceptationibus privatis ac publicis; in judicando & æstimando statu Politicò; in emendandis moribus, ac induendo verò virtutis habitu; in colligendo solidæ prudentiæ thesaurò, in obfirmandis animis contra quasvis fortunæ procellas, & hujus vitæ adversitates; in excitando veræ probitatis ac honestatis studio, prodesse possent, inde perspicerent. Quod verò cum haut commodius fieri posse mihi persuaderem, quam si partim sub veris, partim sub fictarum personarum integumentis, utilissima quæq; argumenta, cum ex profanis, tum ex sacris authoribus, præter alia ordinaria Exercitia, quæ singulis Septimanis habentur, publicè proponerem, quotannis aliquot *πανηγύξεις* seu Actus Orationis, in certas Deliberationes, Personasq; digestos, Studiosæ Juventuti elaborandos & publicè ac solenniter exhibendos proposui, in ijsq; id operam dedi sedulo, ut animi discipulorum ad veram pietatem, linguæ ad styli puritatem & aptam pronuntiationem, totus corporis habitus & cætera omnia, ad decentem gestuum venustatem diligentissimè formarentur. Quare cum annò præter-

lapsò

lapſo miſerrimum & afflictiſſimum *Germania*, patriæ
noſtræ cariſſimæ, nunc, pro dolor! in ultimi agonis diſ-
crimine conſtitutæ, ac multis modis miſerè pereun-
tis, ſtatum aliquantò dolentiùs, affectu verè Germano,
mecum cogitatem, facere non potui, quin Thematis
alicujus publicè tractandi materiam inde arriperem,
quod & in tantorum malorum cauſſas paulò altiùs inqvi-
reret, & quò pacto ab illis liberari Germania noſtra poſ-
ſit, breviter exponeret; ſimul & oftenderet, quantâ cum
animi gratitudine & pietatis affectu, mirandum divinæ
liberationis beneficium, quod per *Leonem Septentriona-*
lem divini numinis gratia Oppreſſæ Germaniæ hætenus
præſtitit, agnoſcere & celebrare debeamus. Quem pi-
um & ab optimò animò profectum laborem, cum di-
vinò Illuſtriſſæ & Reverendiſſæ Celiſtudinis veſtræ judiciò
non ſolùm approbari, ſed au-
guſtiſſæ etiam Clementiæ
veſtræ præſentiâ condecorari, humilimus Ego & ſubje-
ctiſſimus Illuſtriſſæ & Reverendiſſæ Celiſtudinis veſtræ
ſervus, geſtienti pectore animadvertim, id audaciæ mihi
ſumere non veritus ſum, ut eundem laborem, nunc re-
viſum, nonnullibi emendatum, & publicis typis exſcri-
ptum, denuò Celiſſæ ac Reverendiſſæ Clementiæ veſtræ
aſpectui & jùdicio liſterem, ejuſdemq; Ducali patroci-
nio, in humilimâ animi ſubjectione, defendendum com-
mendarem ac conſecrarem. Eſt enim Illuſtriſſa & Reve-
rendiſſa Celiſtudo veſtra nobis inſtar Terreni cujuſdã nu-
minis, ſub cujuſ Clementiſſimò ac potentiſſimò patroci-
niò, & Ducaliſ gratiæ Umbone, tuti requieſcimus, in cujuſ

manu, secundum Deum, positæ sunt, opes, promotio, defensio, Vita & reclusæ nostræ omnes, cuiq; labores, acta & bona nostra omnia, si quæ esse possunt, humilimè subiicimus ac consecramus.

Dignetur itaq; Illustriss^a & Reverendis^a Celsitudo vestra hunc qualemcunq; meum vel laborem, vel conatum, Serenis^o ac divinis^o suò aspectu, illumq; Me ipsum & Meos omnes Illustriss^a & Reverendis^a Celsitudini & Clementiæ suæ, clementissimè commendatissimos semper habeat. Sit Illustriss^a & Reverendis^a vestra Celsitudo literatæ gentis asylum, Gratiarum ac Musarum sacrarium, ingeniorum fomentum, bonorum spes, pauperum mensa, innocentium & oppressorum refugium; sit & & maneat semper potentissimus noster Evergetes ac Promotor, atq; hoc *Ducale Gymnasium*, cui me indignum præfectum clementissimè voluit, usq; divâ Clementiæ suæ flammâ foveat, inexhaustò Ducalis Liberalitatis cornucopiæ augeat, præfulgidò sapientiæ splendore illustret, præpotenti justitiæ ac æqvitatæ clypeò defendat ac tueatur.

Trinunus ille & omnipotens Deus, cujus nutu & Voluntate geruntur omnia; quiq; solus transfert & stabilit Imperia, miserè hæctenus turbatæ & afflictæ *Germaniæ* nostræ, omnium bonorum votis ac desiderijs diu exoptatam pacem ac tranquillitatem restituat, & Illustriss^{am} ac Reverendis^{am} vestram Celsitudinem, cum Dn. Principe conjuge, & Dn. Sorore, surculòq; ex Illa unicò; Illustris^o ac Celsis^o Principe ac Domino, *DN. ERNESTO BUGCISLAO*, Duce Areschotano &c, Domino nostro Clementis-

mentis^o, cumq; familiat Pomeranica universa, quæ ad ni-
miam, heu dolor! paucitatem jam redacta est, diutissime
salvam, incolumem ac florentem conservet, Spiritu suo
sancto illuminet ac regat, sanctorum Angelorum exerci-
tu ubiq; cingat ac comitetur, omni divinæ benedictionis
affluentia exsatiat, efficiatq;, ut Regia *Stemmatum Pomer-
nici* stirps, quæ per tot seculorum decursus hætenus, in-
ter Germanos Principes veræ pietatis, sapientiæ, fortitudi-
nis, justitiæ, clementiæ, ac benignitatis laude maximè
eminuit, nominisq; sui famam ac gloriam, ad extremos
usq; mundi terminos propagavit semper floreat, crescat,
augeat, pijsq; curis nunc anxiam ac penè orbam *Pomera-
niam* vel tandem aliquando in spem *Ducalium hæredum*
restituatur, imò ipsa iisdem diuturno desiderio jam fermè
marcescentem recreet atq; exhilaret. Hoc faxit, qui potest
omnia, detq;, ut propediem denuò effloruisse *stirpem Po-
meranicam* audiamus lætissimi, quò universa *Pomerania*, à
Regio Gryphidarum stemmate, usq; ad extremos fatalesq;
mundi cineres felicissimè regatur ac gubernetur. Dabam
Stetini, è museo meo, Calend. Martijs, Anno Epochæ
Christianæ vulgaris CIO. IOO. XXXIII.

Illustrissæ & Reverendissæ Celsit. vestræ

Humilimus & Subiectissimus.

M. MARTINUS LEUSCHNER

Duc. Pedagogij Rector.

A 5

CLARIS.

CLARISSO VIRO
DN. M. MARTINO LEVSCHNERO,
Collegæ, Amico, & Compatri meo
colendo,

Historiam Comicam edenti.

HEmpora labuntur, Sol a volat, effluit aër,
Dispereunt homines, Acta hominumq;
simul.

Atq; fugit seclis obliuiscantibus ætas

Et cœcâ secum cuncta recondit humô.

Una sed Historia est custos vigil, unica conda est
Promaq;, de cuius cuncta petenda penu.

Hæc specula, hæc rerum picturas, deniq; & umbras
Exhibet, & si non Res, simulacra tamen.

Huic, LEUSCHNERE, litas meritò dignasq; coronas
Distribuis, decus hoc qui meruère, viris.

Sed tibi quid meriti, quæ gratia, ab inde redibit?

Dicam, si experto vis mihi habere Fidem:

Livor ab indoctis, à vulgò præmia nulla,

Gratia ab ingenuis, gloria ab arce DEI.

DANIEL CRAMERUS D.
Magnos

Magnos Magna decent, Sueciæ Rex Magnus
ADOLPHUS

Res gessit magnas, præmia parva tulit,
Qui Regis tanti celebras, Gener optime, gesta,
Magna quidem meritis præmia, parva refers.
Sed quod terra nequit, mundusve rependere, cœli
Gratia succedens perpete honore dabit.

Collegæ & Genero suo longè dilectissimo f.

M. JOACHIMUS PRÆTORIUS
Archidiaconus & Professor
Illust. Pædag.

Huc agite, ite, Pij, magnalia, facta stupenda,
Justi judicia horrenda & miranda JEHOVÆ
Spectatum (spectare decet, meminisse juvabit)
Excidium quantum! quæ lerna mali, Ilias ingens!
Funestæ strages, & plurima mortis imago:
Quot scelerum facies, & quantalibet licentia ferri,
Quod procerum strinxit, furij stimulantibus, ardor,
Viscera quæis patriæ rictu laniare nefando,
Et volupe in proprium (pudor heu!) servire cruorem!
Quot mala, quot pœnas læsi vindicta Tonantis
Teutonicis infudit agris! quæ causa malorum!
Corrupti patriæ mores, peccataq; gentis
Justitiæ, fidei, cunctæ & pietatis inanis.
Quodq; malis tantis clementia Numinis alma,
Tot miseras miserata animas in morte jacentes,

A 6

Attulit


*Attulit auxilium, divino Heroë vocato-
Qui pietate, fide, virtute & robore cordis
Invicto, nulli Majorum jure secundus!*

(O si perpetuum decus hoc propriumq; fuisset!)

*Quilibet hæc melius quò mente revolvere possit,
Illa theatrâli pompa sub Schemate docto
Auribus atq; oculis fidis exponis, Amice
LEUSCHNERE, Illustris qui gloria magna Lycæi,
Artis naturæq; Sopbus doctissimus audis.
Sic punctum omne refers, dum misces utile dulci,
Dulce videre, audire fuit tua dramata acuta,
Utile non solum Studiosis, amplificare,
Quos eadem docuisti & viva reddere voce:
Utile sed cunctis memori hæc in corde tenere,
Ut discant Sanctum Numen placare, vereri:
Quò redeat nostris tandem pax inclytæ terris,*

In gratiam amici pl. dilecti & honorandi
inter occupat. scribebat

CHRISTOPH. SCHULTETUS D.


Magnus, dum vixit terris, GUSTAVUS ADOL-
FUS;
Major, dum tristi funere Vita cadit,
Maximus, in cœlum quando est translatus, ovatq;
Inter cœlestis flammea castra Chori.
Quis? Qualis? Quantus? Liber hic sermone polito
Detegit, hunc prudens tu modò, *Lector*, adi.
Autorem

Autorem quæris, totum qui dirigit Actum?

LEUSCHNERUS, nostræ gloria prima Scholæ
Hunc defudantem pro Te, *Studiosa Juventus*,
Suspiciens animo devenerâre pio.

Inter occupationes deproperabat

ADAMUS RUBACH D. &
Archiater Pomeranicus.

O *Tua quàm misera est facies, GERMANIA!*
quantum

Teutonicò dispar Sanguine es à veteri!
Cum Phæbò Musæ, Charitesq̃, Artesq̃ nefandò
Mulctatæ exiliò, & cum Pietate Fides!
Queis successerunt, Stygij Cacodæmonis astû,
Mars, Bellona, Furor, Fraus, Scelus, omne Nefas:
Bacchus cum Venere, atq̃ Incendia, Turta, Rapinæ,
Quæq̃ piam mentem cuncta referre pudet!
Cæsaris in primis missus sub nomine Miles,
Damna quot (heu!) nostris intulit hisce locis!
Singula distinctim hæc spectanda dedere Theatra,
Te, LEUSCHNERE, Actus & moderante Choros.
Tandem introduxti REGEM, qui venit ab Orbe,
Arcto ô, cui vix sæcla habuere parem.
Cum Senenamq̃ iniens mox Ille TULSCONE fœdus,
Ultor ero, dixit, Sanguinis innocui.
Contremuere hostes, auditò nomine, terga,
Pars dat, parsq̃ manû REGIS & ense perit.

At, quem

At, quem monstravit tantum, ob peccata vicissim,
Herodes, ingratis abstulit Ira DEI!
Cesset ut haec igitur, Numen caeleste perenni,
Nostrum erit, ardenti & sollicitare prece:
Defuncti q̄, piè, det, qui vestigia REGIS
Jam premat, & causam Religionis agat.
Id, modò pœniteat scelerum nos, fiet, & omni
Aurea florebit Pax Pietas q̄, locò.

*Αυτογρ. scribeb. Eichsteti, inter
curationes Medicas, ΙΧ ΚΙ. Martij,
ANNICID. ΙΟ C, XXXIII.

ANDR. HILTEBRANDT,
Med.D.



AD PANEGRICUM

Clarissimi Dn. MARTINI LEUSCHNERI,
De gestis Dei per Serenissimum Regem
Sveciæ.

Gesta panegyricis GUSTAVI REGIS ADOL-
PHI

Inscribi libris jam meruerê diu.
Nam plures dicent grates huic jugiter urbes,
Pro quibus excubias egit ubiq̄; graves.
Et POMERANJA Tibi dignos persolvit honores,
Quam, REX, servasti prosperiore manu.

Hæc

Hæc quod enim careat bellis & fraude papatus,
Eccetibi acceptum, REX & generose, refert.
O cordate Heros, Virtus tua proxima Divis,
Cujus Teuto fidem perpete laude vehit,
Et gestis, famâq; tuâ victurus in orbe es,
Tempora dum cœlum, dum reget hora diem.
At quia nunc bello cecidisti, plangimus omnes,
Tâm citò fit planctus, qui modò plausus erat,
Intereâ DOMINVM devotâ mente rogamus,
Vt faciat partum perpetuare bonum.
Nam quæ jam cœpit ter magna potentia JHOVÆ,
Perficiet tandem pro bonitate sua.
Hæc bona cœpta DEI Christianus prædicat orbis,
Atq; panegyrico concelebrat genere.
Fecit idem Aonij Dux & lux fulgida cœtus,
LEUSCHNERUS, studijs clarus & eloquio.
Hoc ceu te præsens Oratio tersa docebit,
Quæ dare festivam nata panegyridem.
Laudetur, placeat, qui narrat flumine docto
Gesta DEI atq; SVECI, Sermo panegyricus.
Tu, donec steterit virtutis gloria honosq;,
In panathenaicis REX memorandus eris.

LAURENTIUS EICHSTADIUS,
Medic. D & in Vetere Sedino
Physicus Ordinarius.

VIRO



VIRO CLARISSIMO

DN. M. MARTINO LEVSCHNERO,

Ducal, Gymnafij Stetinenf, Rectori &
Philofoph, Profefl.

NOs Deus affligens, Harpyias mifit: amaras
Fudimus heu lacrymas, cum gemituq; preces.
Audijs, erumnas miferans; Heroa ftupendum
Excivit: promptam fenfimus huius opem.
Hic DOMINO laudum praconia diximus. Actus
Cuncta Panegyrico, dulcis Amice, refers.
Rursum percuffit miferos DEUS: abftulit eheu,
Quod dedit (oftendit veriùs) ipfe, bonum.
En! iterum flemus queruli, JOVAMq; vocamus.
Lugubris hinc animò concio nata tuò.
Audiet ille preces iterum, nova robor a promet:
Laudibus hunc dabitur magnificare novis.
Hæc eſt Chriftiadum praxis, redit ufus in orbem:
Sic DEUS exercet mirificatq; Suos.

DN. Collegæ & Amico fratris
locò amando f.

M. HEINR. KIELMANNUS,
Gr.L. & Pöef. ibid. Prof.

Ut Venit,

UT Venit, Vidit, Vicit GUSTAVUS ADOLPHUS,

Occidit, heu! subito, flos velut, ante diem.
Hinc illud meritò sacratis laudibus effers;
Hoc meritò lugens pro pietate tuâ.
Maecte ergo hoc studio, Vir Amice, ô prodere
perge
Divini ingenij sic monumenta tui.

*Dn. Collegæ suo pl. honorando
L.M. de properab,*

M. ERICUS PELSHOFER,
in Ducali Gymn. Stet.
Eloqv. Prof.



Hono-




Honorando & Benevolo Lectori

S. P. D.



Empora quæ fuerint per multos hæctenus
annos,
Quæq; fatigarint Germanos fata quietos;
Ad tantos iræ fluctus pœnâsq; quid inde
Impulerit *JOVAM*; quæ tot sint crimina nostra;
Quas itidem nobis, nostros miserata labores,
Tot post exactas clades tristésq; ruinas,
Ingens illa Dei nunc *SPE S* Clementia monstret;
Auxilij quantum tulerit; quæ signa paterni
Affectus dederit; multis studiosa loqvetur
Gymnasij nostri pubes, ter nona per orbem
Quando Septembris lux effulgebit ab axe.

TU quicumq; ergò fueris, heus optime Lector,
Dictò, quæso, die, si matutina vocarit
Sexta, ad sis præsens nobis, animòq; benignò
Hauri, quæ referet peragenda *PANEGYRIS* ista.
Ne te pœniteat, tantùm addixisse diei
Nobis, efficiam. Tu præstantissime Lector
Vive valeq; diu, nostròsq; favore labores
Hos dignare tuò, quòs nil nisi Numinis almi
Gloria spectatur ter sancta, salusq; juventæ.



ACTUS

ACTUS PRIMUS
P A N E G Y R I S
ORATORIÆ,

In quô
Afflictissimi & ærumnosissimi
status, quem Univerſa experitur Germa-
nia, cauſæ exponuntur.

PROLOGUS.



*Q*uæſiſſima eſt, Illuſtriſſimi & Potentiſſi-
mi Principes, Dn. & Evergetæ Clementiſſimi;
nec non Magnifici, admodum Reverendi, No-
biliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, Clariſſimi,
Excellentiſſimi, Doctiſſimi, & omnium ordi-
num Honoratiſſimi Viri; Grauiſſima, inquam, eſt Jehovæ
O.M. ad omnes mortales exhortatio: Invoca me in die Tribu-
lationis tuæ, & ego eripiam te, & tu glorificabis me. *Ps. 50.*
Qua quidem ~~nequæ~~ *Jehova Potentiſſimus, cum ad quem-*
nam in cruce & calamitate conſtituti, impetrandæ liberatio-
nis cauſâ, confugere: tum quales nos Deo, ſi ex anguſtijs &
afflictionibus erepti fuerimus, præbere debeamus, vult oſten-
dere. Nequaquam ſcilicet, ſi res adverſæ, ſi varia cala-
mitatum

mitatum moles nos presserint, DEUS prætereundus est, sed ipse solus in auxilium vocandus; in ipso solo omnes nostræ spes, omnes expediendæ salutis nostræ rationes collocandæ sunt. Multò vero minus, si auxilium divinitus præstitum fuerit, impio & ingrato animo obmutescendum est, sed lingvæ vocesq; nostræ in DEI laudem & gloriam jugiter solvendæ sunt. Ut enim ipse solus DEUS ille fortis est, ad salutem omnimodam, & Dominus, cui sunt exitus contra ipsam mortem; ut ipse est unicum refugium, unicus susceptor, liberator, & protector omnium mortalium, qui sanat fractos animo, ac eos obligat in doloribus, qui statuminat mansuetos, & deprimit improbos in terram usq;, qui emittit sagittas suas & conturbat eos, quorum os loquitur vanum, & quorum dextera est dextera iniquitatis & falsitatis: ita etiam nos gratis animis illud agnoscere, ipsi soli non solum omnem nostram vitam ac salutem, sed ejus quoq; conservatæ laudem unicè transcribere, eiq; debita laudis sacrificia offerre, & vota nostra persolvere debemus. Quòd cum ita sit, meritò quoq; nos Germani, postquam divinæ benignitatis gratiâ, jugum illud, quod perversorum hominum machinationes nobis imponere moliebantur, ab humeris nostris dejectum, confractum, &, ut speramus, comminutum est, non solum impensè gaudemus, sed Deo etiam, sospitatori ac liberatori nostro, labiorum nostrorum sacrificia, cum nihil aliud suppetat, immolamus. Etenim Auditores omnium ordinum honoratissimi, cogitate, quæso mecum, inquantis angustijs, pressuris, & afflictionibus nos miseri Germani hætenus hæserimus: quamq; mirabili & insperatò Dei auxiliò inde erepti fuerimus,

fuerimus,

fuerimus, & non poteritis non supplices mecum ad cœlum manus extendere, cumq; Regiô Psalte Davide præ gaudiô exclamare: Cantate Deo, Psallite nomini ejus, extollite eum, qui insidet amœnitatibus, de nomine ejus Jah, ac exultate coram eo. Benedictus Dominus, qui quotidiè onerat nos donis, Deus ille fortis, Salus nostra excellentissimè. Actum videbatur de nobis planissimè; nemo nostrum, imò nemo etiam hostium erat, qui non res nostras perditas, & nosmetipsos ad incitas planè redactos crederet. Hostem non aliunde adventantem, sed nostris jam cervicibus insultantem horrebamus: exitium non futurum metuebamus, sed in sinu fovebamus, sudore ac sanguine nostro alebamus. Urbium, oppidorum, vicorum Ustulationibus nocturnas tenebras fugari, diurnum lumen obscurari videbamus: Pecoris nostri greges & armenta abigi, domus diripi, omnes laudabiles consuetudines pessundari, jus, fas, & æquum opprimi; cædes, latrocinia, sacrilegia, adulteria, promiscuas scortationes grassari dolebamus; & quod omnium miserrimum, non solum corpora nostra hisce malis petebantur, sed ipsa libertas etiam, animarumq; nostrarum salus periclitabatur. Antichristus enim Romanus, per emissarios suos hoc unicè agebat, in hoc desudabat, ut Ecclesias nostras devastaret, scholas everteret, Papales tenebras & Monachorum Cocisimos in orbem Christianum reduceret. Quid? Omnibus Germanie angulis, à summis Alpibus, usq; ad extremos maris Arctoi limites, barbaro completis milite, id sibi jam obtinuisse videbatur. Gloriabantur enim ipsius satellites, jam debellatum esse,
jam

jam instituendas Reformationes, & odiosè occinebant vetus
illud: Veteres migrate coloni. Multis, vobiscelus! illustri-
bus Viris minabantur exilium, & Proscriptionem, eosq; bre-
vi, de solio & sede a vitâ, ad stabula & culinas dejectum iri,
ut veru versent, & equis suis aquas bauriant nugabantur.
Quinimò plurimi prelustres Duces & Principes per Ger-
maniam, urbesq; validissimæ jamtum sub servitute geme-
bant. Verùm DEUS ille O. M. cujus misericordie non est
finis, respexit nos tandem ex altò, & Liberatore missò, signum
nobis, ad optimè sperandum erexit omnibus. Etenim, si
quis, Deò missò, sola humana media respexerit, ne is vebe-
menter errat! Nam sine Dei numine nihil est in homine;
nisi Jehovah custodiat civitatem, frustra seduli sunt custo-
des; nisi Jehovah potentissimus nobis adfuisset, cum in-
surgerent in nos homines, vivos absorbuissent nos, exar-
descende irâ eorum in nos: A Jehovah Exercituum anima
nostra, ut avicula, erepta est à laqueò aucupantium, la-
queò effractò, nos erepti sumus. Quare soli Deo gratie
agenda, qui tanti boni nobis Autor extitit, ipsiq; ardentissima
precum suspiria offerenda sunt, ut divinum hoc suum auxi-
lium, cujus ex merâ misericordiâ fecit initium, clementer
& paternè continuare velit. Hoc verò ut cum majori devo-
tione fiat, agite Auditores Prestantissimi, afflictissimum Ger-
maniae nostrae statum ab initiò paulò diligentius repetemus:
Hinc, quàm mirandam Liberationis spem Divina bonitas
nobis ostenderit, gratis animis perpendemus. Quoniam verò
nihil tantam commovendi vim habet, quàm si res quasi co-
ram

ram

ràm agi videatur, Totum hoc nostrum, Exercitium, sub cer-
tis fictarum personarum integumentis, in medium produce-
mus. Vobis, omnium ordinum Viri honoratissimi, ab initiò
gratias agimus & habemus maximas, quod honorificas ve-
stras presentias nobis accommodare non gravati fueritis, &
qua par est, observantià rogamus, ut per unam aut alteram
horam, huic nostro Exercitio interesse, imò præesse, benignè
dignemini. Quod si feceritis, nihil non tenuitati nostræ
à vestris Eminentijs & Excellentijs promittimus, dabi-
musq; operam, ut studia nostra, quibus à Deò & Vobis
omnibus destinati sumus, debità diligentia
excolamus.



Actum



Actus I. Argumentum.

Darumb das Deutsche Land / ein^e Kron der
ganzen Welt /
Ein Zier der Christenheit / darin so mancher Helt
Bissher erzogen ist / in solche grosse Noth /
Lender / gerathen nun / mit grossem Schimpff vnd
Das in demselben seyn gar sehr viel tausent Mann (Spot /
So jämmerlich erwürgt / daß mans nicht schreiben kan ;
Das Kirchen / Städt^e vnd Schuln seyn eingeschert gar /
Auch nochmahlen muß lebn ein jeder in Gefahr ;
Ursach dessen wir jetzt allhier anzeigen wolln /
Darüber sich die Leut^e billich entsetzen solln.
Deutschland Europen Zier / mit viel Gaben geschmückt /
Sich von der Tugend hat zum Lastern tieff gebückt ;
Deutschland Europen Macht / die Herrscherin der Welt /
Sich von dem Guten ab zum Bösen hat gesellt.
Darumb sie denn aufstreibt / wie ihr jetzt sehen sollt /
Die CHARITES, darzu die HORAS schön vnd holt /
Die Musen allesampt / mit PHOEBUS, ihrem Haupt /
Die Tugenden / daß nichts Gesundes in ihr bleibt.
Nichts mehr zu diesem mahl hiervon ich reden wil /
Deutschlandes guter Geist nun reden wird : Send still.



DEL I-



DELIBERATIO PRIMA,

In Qua

BONUS GERMANIÆ GENIUS INTRODUCITUR.

NE quis vestrum fortè miretur, ego qui sim, aut cur, hoc indutus habitu in medium procedam, id ab initiò paucis eloquar: hinc, quid venerim, ostendam. Genius ego Germania bonus sum, jam olim à patre illo luminum, qui aethereas incolit sedes, huic præfectus muneri, ut Germanos, Germanorumque mores curem, demq; operam, ne quid detrimenti nobilissima hæc natio capiat. Quanquam enim Pater ille omnipotens si suâ ubiq; potentiâ uti velit, meò meorumq; commilitonum ministerio non indiget; placuit tamen ipsi, aliquam quasi cura partem in nos deponere ut nostram in eo obedientiam atq; fidem exploret. Pervigili proinde nos omnes studio id quod injunctum est nobis, facimus suam quisq; provinciam sedulò curantes, diligenterq; mores observantes hominum. Nunc, quâ de causâ huc veni, argumentum eloquar. Germania mea quam ille, qui gentes omnes, mariaq; & terras movet, mihi curandam tradidit, jussitq; ut hominum in eâ facta, mores, pietatem & fidem noscam, eorumq; mali qui sunt, nomina ad se exscripta referam; in periculò jam versatur maximo, idq; adeò, pro dolor! non sine suâ culpâ. Avitis namque moribus & virtutibus rejectis, novitatibus studet
B vanissi-

vanissimis, nihilq; in deliciis habet, nisi quod novum, quod exterum, quod ex corruptissimis, vanissimorum populorum, moribus haustum est. Quibus namq; ipsa olim, ceu Domina ac Regina imperitabat, ijs nunc quasi Magistris, ad quascunq; voluptatum ac libidinum illecebras utitur; eorum mores, facta & gestus admiratur, eorum sese oblectat habitu, adeo quidem, ut ipse vix, qui antiquitus huic regioni custos sum additus, eam ab alijs gentibus internoscere queam. Habitu ejus si respicio, ex ijs ille, quæ exteræ nationes levissima habent, quasi de industria compositus est; Linguam si audio, à veteri & gravi illa tota est aliena, tota in molliculam & effæminatam abiit, nihilq; nativum amplius & genuinum habet. Cogor ego inde adeo exteræ perreptare regiones, eorumq; linguas addiscere, meam Germaniam intelligere si velim: sunt, qui quicquid veterum gravitas moribus suis indignum judicavit, honestissimum esse arbitrantur, & ceu simia, affectant nihilq; magis imitatione dignum esse reputant, quam quod olim Majores sui, tanquam leve & vanum, omninò rejecerunt; quicquid contra grave, masculum ac forte illi judicarunt, hi poliendo & excolendo exterunt, exteræq; levitati, ceu mimi quidam, conformando corrumpunt. Pudet scilicet Germanos linguæ Germanicæ. pudet degeneres virtutum avitarum, cum habitu & lingua Germanicæ, mores exuunt Germanicos. Credo ego, si primævis Germanæ gentis progenitoribus in hanc vitam lucemq; concederetur reditus, eos nec linguam posterorum intellecturos, nec mores habitumq; agnituros. immò, ne umbram quidem prisca gravitatis & virtutis conspici se affirmaturos. Adeo temporum diuturnitate, hominumq; improbitate omnia immutata sunt, nihilq; jam superest, quod non sædissimas senserit corruptelas. Hoc ego questum huc veni, quod dum paulo liberius facio, ne, quæso, Pseudo Germani egre feratis. Ut vero rem paulò altius, & à prima quidem repetam origine, olim Germania mea, gentilis adhuc, maximè commendabatur à pietate quam licet non vero Deo, sed fictis gentilium Deastris tribuebat, tanto tamen animorum ardore illam colebat, ut hac in parte hodiernos Pseudo- Christianos longè superaret.

raret.

raret. Excellebat quoque eò tempore fide, integritate, constantiâ, fortitudine, temperantia simplicitate, justitia, alijsq; virtutibus præstantissimis. Hinc in Christi concedens obedientiam, hæc omnia diligentius excolebat, veræq; Religionis ac pietatis laudem gentibus præripiebat omnibus. Verum, qualis ea nunc est? quâ virtute commendabilis? Nulla, aut si quâ, sanè ea rarâ & parvi pretij. Fides, nusquam satis fida, cessit perfidiæ: Constantiam expulit levitas: Fortitudo partim in ferociam & immanitatem degeneravit, partim planè periit; Temperantiam ac frugalitatem luxuria, crapula, ingluvies & plusquam belluinæ voluptates aliæ exturbarunt. Simplicitatem & candorem fastus, fraus & dolus exterminarunt: fas, jus & æquum sub injustitiæ jugo quiritantur. Pro virtutibus opposita vitia, virtutum induta habitu, ceu numina, coluntur. Immo non desunt, qui, quas ipsa honestas, quas veterum leges & præcepta virtutes præscribunt, pro meis rusticitatibus & nugamentis scholasticis habent. Unde, quod olim verbo dictum, sanctum erat & inviolabile, illud nunc omni religione juratum, irritum pro lubitu & indictum est; quod olim sola data dextera firmum fecerat, id hodie ne integræ quidem literatæ pelles, multis sigillis circummunitæ, cautum satis ac tutum facere possunt. Unde levissimi hi, ac ne mulierculis quidem digni mores omnem vetustæ constantiæ laudem Germanis adimunt, adeò quidem, ut, quod de mulieribus dici solet - - - Variam & mutabile semper

Fœmina;

non incommodè hodie in multos torqueatur Germanos. Religio, quæ olim scriptis prophetis & Apostolicis subnixæ, unitatem fidei & simplicitatem tutabatur, in quot jam, queso, hæreses dilapsa est? In Christi locum sese intrudit, nescio quis, qua mores, quâ vitam, quâ fidem, dissimilimus ejus vicarius, qui, quod Christus jubet, ipse prohibet; quod ille sanctum ac bonum pronunciat ipse ceu profanum ac malum damnat; quod ille vita ac præmijs dignum judicat, ipse supplicijs, flammis, ense, Rotâ, exiliò persequitur. Hic infelicissimus rei Christianæ Alastor, omnia impurò ore contaminat, o-

omnia pervertit, evertit, veramque Christianae fidei simplicitatem, in horrendum superstitionum ac impietatum chaos convertit, adeo, ut non Christianismum, sed veterem Paganismum, quoties rem mecum cogito, mihi intueri videar. Etenim cum unus verus Deus in personarum Trinitate pura mente colendus, in omnibus humanae vitae necessitatibus solum invocandus, in eoque solo vera salus ponenda sit, multi mortales, quod dolendum ac deplorandum est, eò impietatis progrediuntur, ut non solum gravissimis delictis & blasphemis divinum numen ad iram petulanter provocent, sed debitum etiam cultum & observantiam eidem detrahant, immò ea, quae ad confirmandam fidei unitatem à sanctis Prophetis & Apostolis, divino instinctu tradita sunt, pessimis depravet corruptelis. Non unus amplius colitur Deus, sed innumera pene sanctorum multitudo. His templa dedicantur, sacra constituuntur variisque celebrantur ritibus; horum imagines ac statuae adorantur, horum manibus religiose invocationis cultus attribuitur; quasi vero mortui succurrere, aut ab ingenitae peccati labe homines mundare & expurgare valeant. O vanitas! O levitas! O summa impietas! Quid gravius in Deum committi possit? quid iram ejusdem, quae ignis consumens est, magis inflammare valeat? Mandatorum divinatorum terminos mortales transgrediuntur, & contentò quasi cursu ad aeternum properant exitium, cum Deus ter optimus maximus non velit mortem peccatoris sed ut convertatur & vivat in seculum; cum omnes solò Christi merito laetos, à peccatis absolvat, eisque, qui ad finem usque vitae in verà fide & agnitione permansuri sunt, florentissimam & pulcherrimam vitam, nunquam periturae, coronam se daturum, liberaliter promittat. Verùm enim verò quotusquisque haec omnia attentè secum considerat, vitamque suam emendare studet? Omnes quippe latam, quae ad perniciem ducit, viam ingrediuntur: hanc frequens malefactorum hominum turba sequitur; verùm in semita salutis qui in ambulent, pauci admodum inveniuntur. Pium esse summa hodiè impietas in verà Religione & pietate perseverare maximum est probrum. Interim innumera & penè infinita, sub falso Religio- nis nomine effinguntur hypocrises. Quot hodie clericorum sunt ordi-
nes;

nes;

nes ; sunt autem infiniti, tot etiam sunt Religiones, tot intercessores, tot mediatores, cum unusquisq; ordo electitius suis operibus salutem transcribat, peculiare sanctos appellet, eorumq; ostendet merita: Immo tot Religiones sunt, quot rasorum monachorum capita. O scelus! O blasphemias, nullò inferorum igni satis expiandas, nedum purgatorio hic locus esse possit ullus! Gravissima Jehovæ ter summi est exhortatio: Invoca me in die tribulationis tuæ, & ego eripiam te. Non inquit, elige tibi sanctos quorū intercessione ea quæ tibi sunt necessaria, impetres sed, meipsū, inquit, adora, me invoca, quia ego sum Dominus Deus omnipotens, & gloriam meam alteri non dabo. Noli in carne tuum ponere auxilium, caro enim est infirma & fragilis, ego autem sum creator tuus omnipotens; quicquid in nomine meo petieris, id tibi dabo. Verum nihil exulceratissimò hoc seculo usitatus est, & ab usus hic pessimus jam planè in consuetudinem abiit ita quidem, ut adversus Religionem egisse illis videantur ij, qui istiusmodi pietatem, ut vocant, exercere recusaverint; ut hæreseos insimulentur, exiliumq; aut mortem perpeti cogantur omnes illi, irreligiosam hanc Religionem vel suspectam solùm qui habent. Reliqua scelera non attingo; sacrilegia, perjuria, adulteria, parricidia, veneficia lubens prætermitto. Nihil dico de abominabili hypocrisi, quâ sapientes hujus seculi toti scatent; nihil de execrabili atheismo, quo non leviter tincti, sed toti submersi sunt. Ad compendium verba pono, vix aliquid Christi hinc, nisi in nomine id sit positum, invenio. Factum quidem ante aliquot annos, singulari numinis benignitate, est, ut è tantis tenebris clarissima veritatis lux rursus effulgeret; ut Ecclesiæ ad normam divinitus patefacti verbi reformarentur, & vera salutis & piæ vitæ ratio ostenderetur: quod ego tunc impensè Gaudebam, & maximè lætabar, fore sperans, ut vel tandem aliquando veterem Germaniam meam faciem intuerer, a vitamq; Germanorum simplicitatem ac fidem restitui cernerem: Verum enim vero prima vix initia læta vidi: mox enim novæ subsecutæ sunt hæreses, tam fœdæ ac blasphemæ, ut nulla verborum atrocitate explicari & satis exaggerari possint. Dolebat

nim & vehementerangebatur seductor ille humani generis Diabo-
us, cum videret pura Religionis semina in hominum cordibus disper-
sa rursus efflorescere, futurosque inde amplissimos ac prestantissimos
fructus prospiciebat. itaque ne sibi tantum bolum e faucibus eripi pa-
teretur, novas fraudes technasque excogitabat gravissimisque persecu-
tionibus doctrinam Evangelicam opprimere conabatur. Etenim cum
Pontificij verbum divinum ab omnibus summa animi alacritate sus-
cipi cernerent, metuentes, ne id Regno suo detrimentum adferret
maximum, summâ ope nitebantur, ut Evangelij cursum sufflamina-
rent, nihilque pretermittebant, quod veritatis cœlestis patefactionem
obfuscare posset; Docentes mortis truculentissimæ; Audientes autem
exilij excommunicationis ve denūciatione terrebant: Cumque se fraude
parum effecturos esse viderent, aperta vi rem aggrediebantur, nul-
lumque sævitie aut immanitatis genus pretermittebant. Mox alie hæ-
reses, jam pridem in concilijs damnatæ, exortæ sunt, Calvinia-
nismus, Anabaptismus, Photinianismus, & alie innumera, qua-
rum seriem & errores hic recensere horreo. Infinitæ hinc desputatio-
num altercationes, quarum finis non veritatis studium est, sed inanis
populi applausus & proprii ingenii gloria. Quid? Summa apud ple-
rosque hodie Religio est, nullam curare Religionem; in diem vivitur,
Epicuræorumque cantilena passim ex auditur.

Ede, Bibe, Lude, post mortem nulla voluptas.

Et, quod turpissimum est, multi Atheismi veteris obsoleti, ceu
Canes ad vomitum regressi, veterem impietatem & superstitionem ple-
nis faucibus resorbuerunt. Sunt enim hodie, qui nihil tam politicum
esse arbitrantur, quam pia omnia contemnere. Hi cum vestibus Re-
ligionem quoque mutant, nihil ineptius aut stolidius judicantes, quam
odia ac contemptum hominum pietatis causam perpeti. Veterum reli-
giosa pietas Scholas & Ecclesias fundavit, redditibus locupletavit:
recentiorum verò iniquitas illas profanat, bestiasque in illis stabulari
permittit; redditus autem in profanos usus impendit, inutiliter ve pro-
fundit, Fastus, ambitio & inanis dominandi libido, mutuis dissidiis
bellisque

bellisq; intestinis omnia compleverunt. Quin & vana superstitio, quam Religionem illi appellare malunt, cum rationibus nullis possit, vi & armis propagatur. Nulla interim Religio est nec peccatum esse creditur, si impius mucro in Christi corpore hebescat, si ingentes sanguinis rivus quotidie profundat; si Christiani à Christianis, ceu bellua trucidentur, si sub, juris bellici pretextu, aliena uxores, castæ virgines contaminentur; si imbellis ætas immaniter juguletur, si urbes, templa, fana diripiantur, civitates, pagi, domus incendijs absumantur, civiumq; bona vel mille modis exigantur, hominesque omnibus fortunis orbat, vel in exilium ire, vel à vera religionis via deflectere, vel miserabili morte vitam abrumpere cogantur, & quis omnia scelerum, quæ indies excogitantur, genera effari possit? Non possum proinde ego diutius hic subsistere, nec oculi mei tantam malitiam ac immanitatem amplius ferre possunt. Ceu fumo namq; apes abiguntur: Ita nos sancti ac boni daemones scelerum offensis fugamur: A eo ego, quicquid honestum, sanctum ac pium est, è Germaniâ me sequetur exulem. Succedent contra monstra horrenda, ingentia, quæ, quid sit Deum contemnere, nosq; bonos genios offendere, Germaniam, magnò ipsius malò, docebunt.

DELIBERATIO SECUNDA

In Quâ

TRES CHARITES, NEC NON HORÆ
Consultantes introducuntur.

AGLAIA.

VEl tandem aliquando, Sorores Iovestæ, ex ingrata Germaniâ, in exilium emigramus! vel tandem horridam illam barbariem ac mores inconditos exosa, novas sedes quærimus! ut hætenus piguit immanis ferocitatis, semper in pejus prolaber-

labentis! ut in tantò germaniæ splendore, in tanta amantate nihil splendidum nihil amœnum & jucundum fuit! Lator proinde, Thalia, vehementer gaudeo, Euphrosyne, quòd vos vetus illud æternæ concordie vinculum non abrumpere, sed me sororem vestram justo dolore abire coactam, sequi volueritis. Sentiet ferociens Germania, quantum damni acceperit charitum exiliò, quas pro titi vitiiis hæctenus atq; quisquiliis habuit.

THALIA.

Comitamur te, soror dilectissima, comitabimurq; semper, quocunq; i veris; nec vinculum illud, quod Iupiter pater æternum esse voluit, dirumpi unquam patiemur. Interim tamen, quin angamur & vehementer doleamus, facere non possumus, cum florentissima Germania quam hæctenus humanioribus literis egregiè excolimus, quam omni cultura genere celebrem fecimus, relinquenda sit. Quæ enim, queso, regio alia quis locus, tam viridantibus agris atq; hortis, tam florentibus nemoribus ac sylvis conspicuum se nobis ostendere poterit quàm Germania? Vidimus sanè hæctenus Germaniã nec liberaliũ artiũ studiis, nec literis humanioribus, ulli alijs regioni cedere; vidimus in eã morũ suavitatẽ non aspernandã. Placuit Germanorũ candor placuit fides & integritas. Placuerunt alia multa, quæ nunc non est narrandi locus. Viguit in eã amor mutus, & laudabile, mutus sese invicẽ officijs demerẽdi, studiũ. Nulla unquã gens, nullo populo, & rectiùs in alios beneficia collocavit, & ab alijs in se collata cõpensavit, quàm gens Germana. Verùm quòd nunc heu dolor! a dea degenerat, quòd nos ita despiciatui habet, minacibusq; protelat dicterijs, id malo cuidam Dæmoni acceptum ferendum arbitror. Ab illò enim omne malum; ille primum malum in mundum introduxit, dum primæ vos Germanorum, imò omnium mortalium parentes, decepit. Ille nondum cessat, aut à perverso suò nocendi studio desistit, sed denuo Germaniam invadit, nec tantum mali antea vi aperta illi attulit, quantum nunc nocentissimò variarum voluptatum Philtrò. Ejus praxis nequissima est; blanditur, ut fallat, arridet, ut noceat, allicit

ut oc-

ut occidat: *Vitia, virtutum induta habitu, incautioribus obtrudit. Ne verò de ijs omnibus dicam, superbiâ inprimis corrumpit Germaniam. Diabolus enim quando vult decipere, prius hominum ingenium peruestigat, ad quodnam vitium illud maximè sit proclive, & quo peccati genere facilius decipi possit. Quod si iam perspexerit, unicè naturam eò inclinât, quò tendit. Quare, quia Germanos rerum magnarum cupiditate teneri novit, vitio superbiæ eos maximè dementat, efficitq; ut alij in divitijs, alij in pomposo vestium habitu, alij in alijs ineptijs & rebus ludicris gloriam positam esse putent. Unde non solum privatae, sed publicæ etiam res multum detrimenti capiunt: imò, quantò majoribus antea Germania virtutibus alijs nationibus antecelluit, tantò nunc atrocioribus sordet vitijs. Verùm ô si quis DEUS, mea Germania, mentem tibi inspiraret saniores, quo vel tandem tui similis facta, à pessimis hisce moribus faceres divortium? Tunc nunc deserenda es? Harpyisne immundissimis tua relinquenda vireta! O dolor! O summe Iupiter, cur me immortalem fecisti! Mortalem enim me mallet, quàm Germaniam, tot nefandis vitijs fœdatam aspicere.*

EUPHROSINE.

Ego quoq; Soror amantissima, ut in omnes te casus complector: ita non possum non misserrimam Germaniæ vicem, quam post discessum nostrum prospicio, deplorare. Exulabit enim nobiscum à Germaniâ omnis letitia: agrorum amœnitas omnis in horridam, squalidamq; vastitiem degenerabit: Illud humanitatis vinculum, quod homines beneficiis inter se colligat, infelix aegya disrumpet: morum suavitate immanis expellet barbaries. Quicquid tamen sit, cum innocentes à ferocientibus incolis expellamur, non est, quod diutius, ingratae Gratiae gratis benefacere ingratis velimus? Emigrabimus itaq; quocunq; Magnus jusserit Iupiter: Quæ pro nobis paulò post recepturi sunt numina, injurias nostras egregiè ulciscuntur.

C

AGLA-

AGLAI A.

Placētis, Sorores dilectissima, placētis, inquam, mecum dum ita consentitis. Satis florentem hactenus ac celebrem Germaniam fecimus: Nunc quia Gratia sordent Germanis; placent furia, has, pro illis, experiantur. Eiet paulò post, fiet, ut omnibus nos votis re-
poscant. Nunc, ut constitutum est, emigrabimus. Verùm ecquæ à latere Dea procedunt! Quæ! Num HORÆ sunt? certè sunt: in exilium nos & ipsa sequi videntur. Agite paulò longius secedemus, quò, quid loquantur, audiamus.

THALIA.

Ita placet, Soror; forte ipsorum colloquium nostros solari poterit mærores. Evphrosyne. Pol, perplacet consilium; in secessu verborum aucupes esse, sine offensâ poterimus.

EVNOMIA.

Sive ortum nostrum, Sorores suavissima, sive nomen, sive officium meum mecum cogito, non possum satis mirari, cur tam atrox mortalium in nos existat odium, ut, ceu invisa ac scæva numina, ex omnibus expellamur locis ac pìpulis publicè differamur.

Horæ namq; sumus, Iovis & Themidis filie, quâ origine quid possit esse nobilius, quid præstantius? Appellamur Horæ, ἀπὸ τῆς ὥρας ἔειν, hoc est à custodiendo, quod & cælum servemus, & humanam diligentiam, ac diligentioribus faveamus: quod Poëta ita expressit.

Spontè fores cœli patuerunt, numine servant
Quas Horæ: queis cura polus regioq; superna est:
Nubila quæ pellunt, quæ inducunt nubila cœlo.
Et ut alius loquitur:

Maturare quibus curæ est mortalia fasta.

Innumeris penè utilitatibus communem mortalium vitam accumulamus: Per nos enim urbes habitantur, agri coluntur; Per nos
justis

justis premia, malis pœna decernuntur: Per nos bella depelluntur,
pax constituitur: per nos vigent, virent ac florent omnia. Vig. de
me solâ pauca jam loquar, quanta, quæso, in solos Germanos beneficia
contuli: forum justitiâ & legibus circumsepsi; vim ab infirmis depu-
li: potentiores cohibui: cædes, adulteria, sacrilegia, rapinas prohi-
bui: Paucis, si quid in Germaniâ superest & justis æquiq;, à me & per
me illud est. Atenim quæ mihi jam refertur gratia? quæ? pro præ-
miô exilium. Ne ingrata gratia! ut dormit antiqua gratia! ut ho-
mines sunt immemores! Agite itaq;, Sorores, relinquemus terram in-
gratam, & in alia emigrabimus loca,

DICE.

Rectè monuisti, Soror sævissima; probantur dicta, placet con-
siliium. Quicquid enim omnes non solùm Germani, sed in universum
quicunq; mortales boni justiq; habent, id per te habent. Tu enim latis
legibus, quid deceat, quid dedebeat, præscribis: Tu æquum ab iniquo,
justum ab injusto secernis: Tu meliori legum disciplinâ, animos mor-
taliū excolis, ferociam contundis: Tu infirmos patrocinio defendis,
valentiores freno cœrces. Ac fateor quidem ego, Diva soror, absq; te
si esset, ne quicquam me laboraturam. Iustitia quidem ego sum omni-
um virtutum mater, meumq; est, monstrare homines quo pacto suum
cuiq; tribuere; quo pacto neminem ledere, quo pacto honestè vivere
possint ac debeant. Atenim quid proficerem, nisi legibus freta tuis,
homines intra officij sui limites continerem. Tu leges, quas sequar,
præscribis; Tu varia statuta, pacta, consuetudines sancis, quibus to-
tus mundus illuminatur ac regitur. His ego hæcenus instructa, ma-
los pœnis cœrcui, bonos premiis ad virtutem invitavi. His Respu-
blicas fundavi, fundatas amplificavi, amplificatas gubernavi, floren-
tesq; ac celebres effeci. Verùm quia in ingratos omnia collocata sentio,
piget tanti impendij, pœnitet habiti laboris. Quocunq; itaq; genti-
tium aufugeris, te comitabor.

I R E N E.

Quin & ego, Divæ sorores, Germaniæ profui plurimum. Terram urbibus, oppidis, pagis, castellis, arcibus, aliisque munimentis invictam reddidi: omnia loca animalibus, tum feris, tum mansuetis, complevi. Agros frugibus solum metallis gemmisque replevi. Ornavi scholas, Ecclesias alui, Res fundavi publicas; Privatas innumeris auxiliis: ut terra marique mercatura exerceretur, effeci. Verum cum hæc omnia beneficia me perdidisse videam, agite, Divæ sorores, vobiscum hoc loco emigro. Succedet, ni fallor, atrox Mavors, qui superbam Germanorum ferociam, ferocemque superbiam ita contundet, ita emolliet, ut vel tandem, quid sit pacem ejecisse, misera intelligat ac nimis serò deploret. Abibimus ocyus. Verum ecquæ Deæ se nobis ex adverso obijciunt? Suntne Charites? Suntne Gratiæ? sunt, profecto sunt. Alloquemur: Salvete divæ virgines salvete, quò vobis iter est?

A G L A I A

Salvete & vos, o sorores, salvete plurimum, si quid salutis in Germaniâ superest; quò iter sit, ipsæ propè nescimus, cum, prout jam deplorata est barbaries, nullibi gratæ sint Gratiæ; quò tamen Deus & fata trahent retrahentque, sequemur. Evnomia. Nunquid & vos Germaniæ procacitas proscripsit? Aglaia, Vaticinare, Evnomia. Rem igitur, quod dicitur, acu tetigi. Evphrosyne. Tetigisti scilicet, soror longè suavissima; imò rem ipsam dixisti. Dice. O Sancta justitia quid tam tarda es ad vindictam? cur non ulcisceris extremam hanc injuriam;

T H A L I A.

Vindictam quidem, sorores inclytæ, non longè abesse arbitror: Attamen quæ major potest esse pœna, quàm Charitum orbari presentia; Horarum destitui præsidio.

I R E N E.

Quàm verum hoc, Thalia! Gratiæ enim ubi exulant & Horæ, ibi jam dum satis vindictæ, satis pœnarum est. Interim tamen quo
vestrum

*vestrum destinavistis iter? Certum enim est, vos quocumq; iveri-
tis usq; sequi, nisi sodalitium nostrum contemni intellexerimus.*

AGLAIA.

*Absit, Irene, Horas ut Gratiae contemnant. Ad arctoam mun-
di plagam abire magnus jussit jupiter; eò sequi si placet, vestro
sodalitio ac comitatu nihil erit jucundius.*

EVNOMIA.

*Perplacet: Locum nullum alium malim, quam hunc, cum
jus & aequum maximè ibi valere audiverim.*

IRENE.

Nec pol rebus meis optatior uspiam tutiorve sedes dari possit.

DICE.

*Ipsam Astraam quondam eò loci emigrasse arbitror. Proinde,
vos quin insequar, facere non possum.*

AGLAIA.

*Abimus itaq; Dux ac comes iteneris magnus sit jupiter. (A-
beant: Charites praecant: Hora sequantur.)*

DELIBERATIO TERTIA,

In Quâ

APOLLO CUM NOVEM MUSIS

Deliberat.

APOLLO

*Musarum cinctus Chorò, ab initiò fidibus canat,
hinc ita Loquatur.*

P IERides Musæ divinò semine natae
Æterni Jovis, præclaræ numina famæ;

C 3

Deli-

Delicium usq; meum; mea cura & sola voluptas,
Queis semper curæ sunt cantus, dulcisoniq;
Plectrorum sonitus: Queis sunt convivia cordi;
Casus, quæso, novos, perdura pericla, gravesq;
Improba quos nobis nunc cudent fata labores,
Accipite attentis animis, & fronte serenâ.
Hactenus egregias nobis Germania sedes,
Hospitiumq; bonum per multos præbuit annos;
Munera grata dedit quàm plurima; Magnus Apollo
Hic fuit, & Musis decreti semper honores;
Ex quò Tevtonicæ succrevit gloria genti
Maxima, & Astrifero cælo contermina fama.
Verùm heu quis Genius? quis Spiritus improbus isti
Nos facit invisos genti nil tale merentes?
Heu! quis consuetos Musarum tollit amores
Ex animis genti! quis versat fraudibus almam
Virtutum altricem, & Mavortia pectora frangit?
Cessat honestatis studium, decus omne vacillat;
Barbaries animos corrumpit, rejicit artes,
Inficit incautam vitiorum lerna juventam;
Nec scelerum est expers annosæ ruga senectæ:
Scommatibus, sannisq; malis divinus Apollo
Excipitur; Spretas vexant ludibria Musas.
Quid dicam? multi plagas minitantur atroces,
Diraq; dulciloquis pro verbis scommata reddunt,
Heu fors Parnassi misera! heu Heliconis acerba
Conditio! Fatis heu nos vexamur iniquis?
O dolor! O lachrymæ! Verùm hæc est gratia mundi
Ingrati: Hæc Musis Germani præmia reddunt.
Pellimur, & vario delusi scommate, sedes
Quærere nunc alias petversâ à gente jubemur,
Quare Divinò prognatæ stemmate Musæ

Con-

17
Consulite in medium, & quæ sit sententia menti,
Narrate, atq; novæ quæ sint nunc, dicite, sedes
Quærendæ; pateant ubi post habitacula Musis,
Teutonicæ montes, quos Mars Bellonaq; sæva,
Nec non Eumenides vitiorum turbine cinctæ
Ingrediuntur, erunt posthac spelæa latronum,
Nec poterunt nobis sedes præbere quietas.

CLIO.

INclyte Musarum Præses, Numenq; Deorum,
Quem claros & Tenedos, quem Patara alta colit;
Qui es Jove prognatus; per quem, quod eritq;, fuitq;,
Estq;, patet; per quem consonat omne melos;
Inventum cujus fertur medicina per orbem,
Quiq; cluens Opifex, cuncta vigore replet;
Ad tua jussa decet Nos Musas esse paratas,
Quasq; Operas tribuis debitâ obire fide,
Quare quæ præsens casus, quæ fata cruenta
Pescant, quidq; hominum fors miseranda ferat,
Tecum haut immerito perpendimus, inq; querelas
Effusæ, rebus quærimus auxilium:
En ego quæ quondam Germanæ fortia Gentis
Pectora mirabar perpetuamq; fidem;
Quæ quoq; compositos mores, & cætera Gentis
Plurima virtutum signa notanda dabam,
Horreo nunc tristis quoties servilia durô
Præberi video colla premenda jugô;
Tot vitiis ipsam quoties torpescere cerno,
In lacrymas toties solvor, & usq; gemo,
Næ pudet atq; piget, factis instare canendis,
Præmia queis solvi fasq; pudorq; negant!
Carmine pertædet nugas memorare nefandas,
Queis sua futiliter tempora cuncta terunt.

Pecto-

Pectoris invicti robur mentitur ineptus
Ganeo; fert linguæ præmia culpa malæ.
Virtutum faciem vitia ementita coluntur;
Vir bonus ille cluet, qui malus atq; ferox.
Recti nullus honos; Virtutum gloria nulla;
Nullus pacis amor, nullaq; cura fori est.
Prævalet ast Prædæ scelerisq; lucrisq; cupido
Infinita, furor vindicis arma capit.
Non hîc Justitiæ vis ulla, nefandus in hostem
Quisq; sibi judex utitur ense suo.
Ergo nî injustas fraudes, vim, furta, rapinas,
Carminè decantem, nil quod agam superest.
Quare tu quò poteris deduc nos inclyte Præses:
In quæcunq; tibi hinc ivero fata comes.

M E L P O M E N E.

CANTU quæ tragicô tremenda narro,
Quæ funesta cano, querorq; mæsta,
Ipsa en *MELPOMENE* tremo gemoq;
Dum mores hominum noto nefandos,
Et multas scelerum plicas resolvo;
Dum mecum repeto dolos trucesq;
Cædes, quas toties furore cæci
Committunt homines, teguntq; fraude;
Dum motas video locô verendas
Virtutes, vitijs patere mundum:
Hæc, inquam, quoties repleta luctu
Attentè meditor, gemo, fluoq;
Largô per faciem doloris imbre,
Gentis Tevtonicæ videns futuras
Clades atq; neces furore plenas.
Quare, Quò placet ire, Dive Apollo,

Ito :

Ito: me comitem Videbis exul,
Per quascunque vices gravesque casus,
Quò tandem effugiam dolos nefandos
Gentis Tevtonicæ, Malosque mores.

THALIA.

EGO Quoque hinc, Apollo, te sequar lubens,
Facetijs cùm non sit amplius meis
Locus, nec usquam comicis leporibus
Ferina flectier queat ferocitas.
Quò magnus ergò jussit, ito, Juppiter,
Exul, parata te sequar per omnia:
Sit ille nobis Dux comesque jugiter.

EUTERPE.

IPsa, quæ quondam Calamis sonoris
Tevtonum mentes animosque traxi,
Nunc quoque hinc tecum jubeor Grynæ
cedere Apollo!

Ibò: nam nostri calami meque
Displicent duris animis, ferisque
Moribus sordent placidò sonantes
carmine Musæ.

TERPSICHORE.

Affectus Citharæ movent Chelysque;
Mœrores animis fides sonora
Expellunt; fidibus movetur, quicquid
Vivit: Terpsichore ciet movetque
Hos svaves sonitus, melosque dulce,
Et quicquid lepidum est: sed ecquid ipsi

D

Inde

Inde est præmioli ? fugata cedit;
Tecumque exiliò, Grynæ Apollo,
Mulctatur : sed eat; dolebit atrox,
Pulfas Pierides, gemetque Tevton.

ERATO.

ET ipsa plectra sisto;
APOLLO, teque læta
Ducem per arcta quæque
Sequor. Præi patrone,
Quò duxeris, sequemur.
Germaniæ parati
Sunt plurimi dolores.
Saltabit inde Mavors
Germanicos per agros;
Bellona sæva multas
Cædes, trucesq; , strages
Edet : gemet fremetque,
Qui jubilabat antè.
Præi pater verende,
ERATO comes sequetur.

CALLIOPE.

MAnnus ubi nunc est, decus & virtutis avitæ
Exemplar, meritò quò se Germania quondam
Iactabat; veteres ubi sunt Heroes, & illa
Lumina Tevtonicæ gentis primæva, per orbem
Quorum præclaros monimenta vetusta triumphos
Decantant? Ubi sunt virtus antiqua fidesq; ?
Simplicitas ubi nunc Germanica, & acer in arma
Impetus? Heus ubi sunt tot quondam erecta trophæa,
Quæ

Quæ Caroli, Ottones, Friderici, alijq; stupendi
Promerere viri? perierunt omnia; nilq;
Heu! præter nomen, reliquum Germania monstrat.
Fastus iners, vesana libido, dolosaq; lingua,
Gula vorax, animusq; ferox, mens impia, mores
Antiquos pepulere locò: quin ergo lubentes
Hinc fugiamus? Erit quando Germania Musas
Omnibus exposcet votis, frustrataq; planget.

URANIA.

Astra quæ scrutor poli, motusq; Syderum noto,
Quæ secuturi mali stragisq; fata nuncio,
En quoq; hinc tecum, lubens Grynæ Apollo demigro.
Namq; quæ vates cano verax relata cælitus,
Quæ mala ex astris futura nuncio micantibus,
Martis œstrò percitis, insaniâq; perditis,
Illa ridentur nefandis sibilationibus.
O scelus! Cœli scienter fata quæ renuncio,
Singulis sunt despiciatui, nec uspiam, ut decet,
Hem! color: cælestibus tot vindicanda scommata
Ignibus, premenda est tanta pravitas atrociùs.
Huc ferox mavors adi; huc Bellona præpotens adi;
Si qua sunt nociva numina, huc frequentia advolent,
Teutonumq; puniant nefariam hanc ferociam.
Interim tecum emigrabo, apollo, quò vocaveris,

POLYMNIA.

Virtus Tevtonicis candida floruit
Quondam arvis; vitium nunc tenet omnia:
Designans manibus cuncta ego, legibus

Ipsos perdocui fortia praelia,
Verum nunc jubeor cedere sedibus
Tecum Phœbe: Placet: vah mala gratia
Nostris pro meritis penditur omnibus!
En! hoc, hoc decorant munere pessima
Lingvas Terrigenum hæc ingenia: Exeo.

APOLLO.

hoc ita finiat

COLLOQUIUM.

Mihi dum morem geritis Musæ,
Dum quod jubeo, facitis promptè,
Mihi id est gratum, perficiamq;
Meriti ut vos pœniteat nunquam.
Novus, en! erit hinc Helicon nobis
Quærendus, ubi gratia major
Musis & Appollinis arti sit,
Et major honos attribuatur.
Ab eo: vos mœsto queruloque
Abitu hunc nostrum plangite Cantu.
Valeat Germania, vivatque
Misera, ut digna est, Furia bellis
Reprobam devastent miserandis.
Vos tangite nunc plectra fidesque
Digitis, decorateque nos hymnò.

DELI-

DELIBERATIO QUARTA,
In Quâ

RELIGIO seu PIETAS; & Virtutes
Cardinales; FIDES, SPES, CARITAS,
IUSTITIA, TEMPERANTIA, PRU-
DENTIA, & FORTITUDO, Consul-
tantes introducuntur.

RELIGIO.

Quod vos, Filia carissima, huc convocandas curaverim, non, spero, agrè feretis. Res enim quaedam non exigui momenti in deliberationem venit, de quâ, ut diligenter consultetur, permagni nostrâ interest. Non verò id commodius fieri posse autumavi, quàm si præsentes omnes in medium consuleremus. Quanquam enim per literas etiam dirimi nonnunquam dubitationes soleant; attamen illæ, si à præsentibus tractantur, longè rectius examinari & decidi possunt. Quare, dabitis mihi hanc veniam, & quid rei sit, breviter ex me cognoscetis.

Multos jam annos, ut novistis, Allemanniam inhabitamus, summoq; in id incumbimus studiò, ut incolas ejus, à varijs vitiorum & errorum inquinamentis purgatos, omni virtutum genere, quantum quidem in nobis est, excolamus maximè. Nec id quidem sinè causis gravissimis. Memores enim divina nostræ originis, in eò omnes meritò nervos contendimus nostros, ut homines, quos ad divinæ suæ imaginis similitudinem, infinitâ suâ bonitate, Cælestis Pater fecit, veræ Pietatis & Virtutum culturâ, ipsius voluntati conformemus, omnemq; difformitatem, quam infelicissima primævi lapsus pernicies ipsis afflavit, quantum in hac virium fragilitate fieri potest, a verruncemus. Proptereâ à Divini numinis Majestate nobis in mandatis datum meministis, ut id unicè agamus, quò, maligni Ca-

ceremoniarum molitionibus repressis, inhumana inter homines vitiorum
fœditas extirpetur, eoque ipsi perducantur, ut in Iustitiâ & sancti-
tate verâ, qua Deo placere possit, vitam exigant omnem. Feci-
mus id hæctenus, ut par fuit, sedulo, nec, absit verbo invidia, sine
successu felicissimò. Simulatq; enim Germaniam, à cæca Gentilita-
tis erroribus purgatam, nostram fecimus, profligataq; Paganismi
perfidiâ, veram in eâ veri Dei agnitionem, Christi fidem, ac genui-
nam veræ virtutis rationem docuimus: ita illa omnibus hisce ex-
cellere & præfulgere cœpit, ut non potuerimus non de felicissimo hoc
successu, impensè nobis gratulari. Etenim, si omnes tres hierarchi-
as circumspicimus, qualesq; in ijs Germani antehac exstiterint,
paulò diligentius consideramus, deprehendimus, neminem ferme
esse, qui sese tranquillam, sine metu, vitam transegisse neget.
In statu enim Ecclesiastico Theologi verbum Dei purè, sinè supersti-
tionum corruptelis, in verâ simplicitate & humilitate docuerunt;
ipsiq; ab omni fastu alieni, non mutuis discordiis ac litigijs; non hæ-
resibus aut schismatibus unitatem fidei lacerarunt, sed spiritu verè
Apostolicò accensi, id unicè egerunt, ut piâ & honestâ suâ conver-
satione auditores ad eundem pietatis Zelum exstimularent. Viri
præterea in sublimitate constituti, Reges & Principes, verè exsti-
terunt Scholarum & Ecclesiarum non solum nutritores & conser-
vatores, sed fundatores etiam & amplificatores. Privatus tandem
quisq; nihil tam alienum à se duxit, quàm id facere, à Christi fide
alienum quod esset; nihil se tam indignum, quàm id facere, quod
non scriptum in lege Domini. Verùm nunc nescio, quis malus Ge-
nius omnes nostros conatus eludat nequissimè. Sive enim Religio-
nem, sive vitam cuiusq; privatam ac mores, sive totam Rempubli-
cam spectem, omnia sunt corruptissima. Religio variorum errorum
venenò seu corrastruâ quâdam rubigine, infecta, in variasq; hæreses
ac schismata divulsa, ad exitium usq; laborat. Hic se Catholicum,
ille Orthodoxum; Hic Papise quam, ille Calvinise quam; hic Ana-
baptistam, ille Photinianum profiteatur. Ex quâ re, quanta dissidia,
quanti

quanti bellorum motus, quanta omnis generis mala existant, omnem
dictionis vehementiam superat. Ita enim perturbata & misera sunt
omnia, ut in Allemanniâ universâ nihil integri, nihil securi, nihilq;
jucundi superesse videatur; ut desperata, misera, tristia, periculosa
& luctuosa sint omnia. Quot in cælo stellatæ sunt faces, tot in Ger-
maniâ exasperatæ calamitates; quot in hominibus existunt membra,
tot in iisdem quasi mortes stabulantur, ut vel ipsa hominis vita tota,
nihil nisi mors esse videatur. Etenim, vitam cujusq; privatam si
specto, corruptissimam illam deprehendo. Ex quô fit, ut mira hodiè
eorum sit paucitas, qui veræ virtutis studium seriò sequantur, cum
pleriq; omnes honestatis splendorem obscurent, atq; quantum quidem
in se est, planè extinguant. O thesauris omnibus pretiosorem Fidem!
O virtutibus omnibus nobiliorem! medicinis omnibus salubriorem!
At ubi nunc Fides? hominum perfidiâ periit, omnemq; vigorem
in Germaniâ perdidit. Non melior reliquarum virtutum est condi-
tio: Omnes illæ pedetentim deflorescunt, ad perniciemq; prolabun-
tur. Vbi divina Justitia antea valuit, ibi nunc neq; modus, neq; ra-
tio, neq; Lex, neq; boni moris exemplum; neq; officium, neq; judi-
cium ulterius valet. Omnes quippè Germaniæ incolæ, indigenæ,
advenæ, primi, imi, adeò vitiorum contagione squalent ac sordent,
ut vix indè eluctari posse videantur. Ex quô fit, ut tota Respubl.
nunquam non sit ac maneat ægra, & animam quasi agere videatur.
Si enim omnia circumspicimus Reipubl. membra, quæ nostro sese
conspicui ingerunt, nullum profecto eorum occurrit, quod non sit
confractum, ac penitus debilitatum. Scholæ, quæ olim maximè flore-
bant, hominum partim incuriâ, partim injuriâ concidunt, omni sub-
levatione & subsidio destitutæ. Ecclesiæ verbi Divini præconibus
orbata, Pseudoprophetarum nanijs decipiuntur ac evertuntur. Et
si quas obscæne & impure aves nondum occuparunt, illas plusquam
Epicureus multorum contemptus negligit, nec de fidelibus ijs Docto-
ribus prospicit. Eheu! inter Keðar & Mesach habitamus, inter ho-
mines inflammatos & inflammantes sessitamus. Ad hæc autem mala
omnia

omnia

omnia & hoc accedit, quòd nusquam Ego misera Religio religiosè
colar; sed vel edictis publicis proscribar, vel injurijs affligar maxi-
mis. Nunc enim, prò dolor! eò res prolapsa est, ut ne pium qui-
dem esse, & verè de Deo sentire liceat, Antichristus Romanus,
exclusò verbi divini præconiò, ad traditiones suas, idololatriasque
defunctorum hominum cultus, sub ultimi exitij comminatione, omnes
alligat, idq; agit unicè, ut veritas Evangelica edictis publicis pro-
scribatur, eliminetur. Injunctum namq; mihi est, ut, relicta Ger-
maniâ, alias quæram sedes; quod, quantopere me perturbet, non
facilè dixerim. Quare etiam atq; etiam rogo, ut in medium consu-
latis, quò maturè huic malo remedium inveniamus. Mihi omninò
hinc emigrandum videtur. Non enim tanta ingratitude & malitia
ulterius perferenda est; cum ipse humanae salutis Autor & Restau-
rator id in mandatis nobis dederit, ut, si qua gens, si qua civitas ve-
ritatem non admissura sit, ea in incredulitate suâ relinqvatur, cum
Margaritæ porcis obijciendæ non sint. Nemo præterea vi ad Religio-
nem compellendus est. Quare, si persuasiones nihil proficiunt, res
tota Deo committenda est. Planè indignum deniq; videtur, homines
impios & contumaciter reluctantes, quasi crinibus, in cælum pertra-
here. Sunt præter Germaniam Regiones plures, ad eas progredie-
mur, cum hic nihil proficere, neminiq; prodesse possimus: quod sæpi-
us à nobis factum meministis. Deseruimus Asiam, deseruimus
Africam; magnam quoq; Europæ partem deseruimus, hominum
impietate coactæ: cur noneodem jure Germaniam quoq; deserere pos-
semus, quæ tot modis injuria in nos existit? Ac quis, quæso, hic
diutius commorari possit, cum passim vis adhibeatur? Necessitati
igitur parendum, idq; adeò magis, quia impossibile est, humanam
voluntatem cogere, hominibusq; id, quod nolunt, invitis obtrudere.
Quare cum omnem disciplinam respuant Germani, frustra cum
ipsis litigamus; Omninoq; hinc abeundum erit, nisi melius aliquod
consilium vobis in mentem venerit.

FIDES

FIDES.

Non est, Mater carissima, quod huius coacti Concilij veniam
 tantoperè à nobis petas: Omnes enim nos ad hoc officij genus
 obligatas ultrò fatemur. Æquum quippe est, in communi periculo,
 communi niti consiliò, & quod malum imminet omnibus, id studijs
 amoliri communibus. Quin imò nos potius gratias agimus & habe-
 mus tibi maximas, quod negotium hoc commune omnium, urgente
 necessitate, tuum facere, & nos ad compar vigilandi studium excita-
 re voluisti: Tu perge, & nos tibi semper habebis obstrictissimas. Ete-
 nim si Religio & virtutes ceteræ unquam in discrimine fuerunt, certè
 nunc sunt, dum omnia in earundem exitium conspirasse videntur,
 ipsæq; nullis non fortuna telis sunt expositæ. Quare ut huic immi-
 nenti malo matura adhibeatur medela, communi deliberatione &
 consiliò opus est. Rectè igitur fecisti, mater carissima, quod necessi-
 tate & officio compulsæ, nos excitare non dubitavisti Rem ipsam
 quod attinet, ardua profectò illa est & digna, cui maturum, modò
 id fieri possit, queratur remedium. Confidimus tamen in Domino,
 quæ ea etiam, quæ ad incitas planè redacta videntur, ad salutem, si
 piè invocetur, convertere potest; & firmiter credimus, ipsum Ecclesiæ
 & toti Germaniæ laboranti ad futurum, repressisq; Cacodæmonis
 molitionibus, electos suos, contra inferorum portas paternè defensu-
 rum esse. Ego, ut cæteris sororibus sua relinquam, post hominum
 memoriam, vix unquam ea passus sum, quæ exulceratò hoc seculò præ
 dolor! perpetior. Quod enim verbis promittitur, id re non præstatur,
 nec ulla promissæ fidei est religio. Pauci præterea pro veræ fidei defen-
 sione sub Christi vexillis militant, & stipendium immortalitatis ab
 eodem expectant. Non in rebus privatis, non in publicis; non in
 sacris fides colitur, sed ubiq; inter mortales rara avis est fides, animiq;
 hominum ipsa à lunâ mutabiliores sunt. Quod cum ita sit, non pos-
 sum non, sanctissima Religio, tuæ subscribere sententiæ. Vbi enim
 nullus religioni, ibi nulli virtuti locus est. Vbi contraria vitia tenent
 omnia, ibi quis possit subsistere? De me solâ ut Dicam, id jam olim
E
à ser.

à servatore mundi prædictum memini, fore, ut ultimis temporibus,
 nullus fidei sit locus. Ipsi quis non credat, idq̄ adeo magis, quia di-
 vinissima huic prædictioni eventum jam respondere videmus, qui
 etiam pertinaciter incredulos persuadere solet. Ipsi Spiritui sancto,
 per Verbum & Sacramenta operanti, improbas occludunt, aures: quò
 pacto ergò fidei ulterius locus esse possit? Fides quippe ex auditu ver-
 bi divini est, id si negligitur, si contemnitur, unde sit, quaeso, fides?
 Dia, pia quæq̄ ore impiò & profanâ linguâ contaminant, nedum fidei
 pareant. Turpe itaq̄ foret, apud abjectissima hæc Satanae mancipia
 diutius commorari. Invito sanè & indigno qui beneficium obrudit,
 is aut malè locat, aut planè perdit. Quid? Nec ego prospicere possum,
 quid profutura sit longior nostra, in his locis, commoratio, cum pe-
 dibus nos quasi proculcemur, & nemo sit, qui vel hujus nos faciat.
 Quin imò uberiolem scandali materiam ferocientibus præbemus, no-
 strisq̄ admonitionibus & correctionibus efficimus, ut in deterius sem-
 per prolabantur. Nituntur namq̄ in vetitum, idq̄, quod jure negatur,
 discipiunt. Ebrietatem & lasciviam sectantur: Parentes liberos suos
 ad virtutem & Dei timorem non advesfaciunt: Nec liberi fidelibus
 Parentum admonitionibus patulas exhibent aures, illosq̄ debito ho-
 nore afficiunt; sed omnibus vitijs sese dedunt; nihil intentatum, nihil
 inausum relinquunt. Ac quotus, quaeso, quisq̄, tantam pro ter-
 viam, totq̄ hominum injurias diutius ferre possit? præsertim cum
 nulla planè emendationis spes superesse videatur. Semel enim susce-
 ptum dulce vitiorum venenum difficile relinquitur, sed indies ma-
 gis magisq̄ animos delinit atq̄ capit. Indigni igitur sunt degeneres
 Germani quos tellus sustineat, quosq̄ Sol radijs suis collustret. Qua-
 re si ita placet, veneranda Religio, quò nos abduxeris, te comita-
 bimur.

S P E S.

Quantonerè, Mater carissima, tuq̄, soror dilectissima, læse vos
 sitis, non sine ingenti cordoliò ex dictis cognovi. Quis enim
 non

non exhorrescat? quis non vehementer doleat, si simplicissimos quon-
dam ac integerrimos Germanos ita degenerasse audiat, ut nihil bonæ
spei de ijs amplius sit reliquum? Quanquam vero non minus atroci
injuriâ, quàm vos, affecta sum ego: attamen, quin infelicissimam
hanc Germania vicem miserer, facere non possum. Etenim mecum
dum repeto, quantis hæcenus Germania virtutibus, quantâq; omni-
um artium ac scientiarum copiâ floruerit, facile agnosco, quantum de-
trimentum Christiana sit acceptura, si Germania à nobis deseratur.
Itaq; vehementer angor & doleo, nihilq; tam velim, quàm ut vel
tandem Deus Germaniam clementer respiciat, efferatosq; hominum
animos ad mitiores mores, ac pristinum virtutis studium reducat.
Rem ipsam quod attinet, licet vobis adversari mihi gravissimum
sit: attamen, quin paucula pro Germaniâ in medium afferam, fa-
cere non possum. Nequaquam verò id contendam, ut Germani-
am ab omni culpâ liberem; non minus enim ego, quàm vos, Cy-
clopice ejus feritatem abominor: sed ostendam, nondum omnem
evanuisse emendationis spem; ac proinde, illam nequaquam de-
serendam esse: quod dum facio, ut æquis animis audiar, maxi-
moperè rogo. Ac principio quidem non suâ sponte ita furere mihi
videtur Germania: sed partim ab alijs seducta, pravisque cor-
rupta exemplis, partim fatali quadam necessitate, quâ, ultimò hęc
seculò, omnia in pejus ruunt & retrò sublapsa feruntur. At verò sedu-
ctorum hominum quis non misereatur? quis eorum miseriâ non excru-
cietur? etenim, malorũ ductu à rectâ vivendi viâ longiq; aberrantes,
in labyrinthò quasi vagantur, atq; in eò versantur discrimine, ut nisi
ad pristinam revertantur vitam, & animæ & corporis jacturam
sint facturi. Ut enim navicula inter Scyllam & Charybdin in sum-
mis versatur periculis; sic germania quoque ob scelera sua in extre-
mò vitæ discrimine jam constituta est. Considerate quàm hæcenus
illa floruerit, & quò pacto vixerit, & non poteritis non aliquò com-
miserationis sensu affici. Floruit in eâ nullum non virtutis genus:

floruit candor, prisca fides; integritas: floruit morum simplicitas ac probitas; Floruit eximia vita frugalitas: fuitq; adeò ipsa verum vera Pietatis domicilium, Sacrosancta Iustitia tribunal, Constantiae ac Magnanimitatis gymnasium. Verùm qua'is nunc est? qualis, queso? longè ab a vitò virtutum tramie recessit, èque statu tam felici, in tantas hasce (aliorum tamen magis, quam suâ culpâ) sese precipitavit calamitates. Nocuere simplici Germania prava exempla; exotici mores incautam corruperunt; insidiosa ac maligna Diaboli fraus eandem circumvenit, & ab a vitò virtutum cultu in vitiorum carceres precipitem egit. Verùm tamen non universa mala est Germania, nec ita corrupta, ut melioris frugis spes nulla sit reliqua; invenias in illâ etiamnum multos non contemnende probitatis viros, qui malorum perversitati nequaquam assentiantur, sed multis gemitibus ac suspiriis eandem deplorent, omniq; votorum contentione emendationem exoptent. Spero ego, fore, ut Deus hosce gemitus exaudiat, ferocia hominum corda emolliat, Germaniamq; ad pristini moris, a vitæq; virtutis cultum reducat. Videtis itaq;, sorores dilectissimæ, non deserendam, sed ad meliorem potius frugem revocandam esse Germaniam. Etenim, si à virtutibus deserta fuerit, quis ipsi feret auxilium? Quare, si ita placet, aliquandiu adhuc in Germania subsistemus, omnemq; navabimus operam, ut seductos corrigere & emendare possimus: sin minus, non ausim ego vobis obloqui, facite, quod è re Christianâ videbitur.

CHARITAS.

Non incommodè mihi, Sorores carissimæ, spes dixisse videtur, omninoq; ex ejus sententiâ deliberationes nostras moderandas censeo. Quanquam enim & ego plurimis hæctenus injuriis, à Germaniâ sum affecta: nondum tamen ab ejus amore desisto, nec facere possum, quin, quid, hæc in re mihi sit animi, breviter exponam;
Quod

Quod dum facio, ut bonâ cum gratiâ audiar, vehementer rogo. Verum quò nunc me convertâ? quid loquar? quid non loquar? ex unâ parte delictorum & promerita pœnæ atrocitas; ex alterâ propensi affectus magnitudo, me perturbat. Quâ quidem re utraq; ita percellor, ita moveor, ut anxium animum curis expedire, & ad boni consilij portum appellere planè nequeam. Video Germaniam, exclusò omni honestatis studiò, plusquam Cyclopicâ feritate obbrutescere, nihilq; de fide, nihil de Christianâ Charitate amplius cogitare: Video sine omni commiserationis affectu, infirmum à validò; pauperem à nobili opprimi, affligi, prodi, corrumpi, planè perdi, ac perimi. Quæ sanè immanitas me excruciat maxime, facileq; prospicio, quantis illa suppliciiis coërceri ac puniri debeat. Interim tamen, propensissimus meus erga Germaniam affectus, ità animum distendit meum, ita misericordie flammâ ustulat, ut non possim non errantium hominum misereri. Viscera mea dirumpi & lancinari sentio, quotiescunque instantium cladum & calamitatum, quas certissimè exilium nostrum secuturas video, mihi subit cogitatio. Tu Iehova Opt. Max. fons Charitatis inexhauste; Tu quæso, respice me; respice angores animæ meæ; cogita humanæ conditionis fragilitatem, & pro immense misericordie tuæ abyssò, potentiâ illâ tuâ, quâ potes subigere & immutare omnia, immuta errantium hominum mentes; corrige animos; aufer ab ipsis cor lapideum, & substitue carneum. Exscinde noxiam illam improbitatis radicem, & veteris simplicitatis, virtutis ac pietatis studium in Germanis accende: Vos, Sorores carissimæ, rogatas maximopere velim, ut id consulatis in medium, quod præsens Germania malum imminuere potius ac tollere, quàm exasperare possit. Id enim vobis longè dignius videbitur, quàm si affectibus indulgentes, in Germanorum exitium conspiraveritis. Videtis non suâ sponte Germanos malos esse, sed pessimâ cacodæmonis suggestionem; qui circumit tanquam Leo rugiens, quærens quem deglutire possit. At enim hoc nostrum est officium, ut homines

è vitiorum volutabris, omni extrahamus studio, cœtui piorum associemus; eorumq; contra violentos mali spiritus impetus ac insultus premuniamus. Quare si officio nostro rectè defungi voluerimus, non poterimus non astu Cacodæmonis circumventis Germanis succurrere, & eorundem salutem potius, quàm perniciem, promotam cupere. Hæc sunt, sorores carissimæ, quæ in medium afferre volui: vos, quod è re Christianâ videbitur, facite: Me in omnibus obsequentem habebitis.

IUSTITIA.

Non ignorabam, sorores sanctissimæ, talem futuram Caritatis orationem. Novimus enim omnes, quantâ illa indulgentiâ erga homines, delinquentes etiam & malos uti soleat. Verùm non ego affectibus nimis indulgendum censeo, nec puto committendum, ut, intempestivâ misericordiâ, mali scelera sua auferant impunita: Fiat enim iustitia, & pereat mundus. Quare ego, quantum in me quidem erit, nunquam permittam, ut pro meritis tantis hominum sceleribus pœnas Caritas suis inanibus deprecetur lacrymis. Ostendam itaq; , quàm enormiter Germania deliquerit, nobisq; , ne ulteriori injuriæ obnoxia simus, omnino emigrandum esse, non infirmis rationibus evincam. Rogo autem, ut benignè audiar. Atq; ut Ab eò initium faciam, quod mihi omnium primum videtur, cogitate, quæso, qualem Germania sese hæctenus erga Deum, qui tot in ipsam beneficia contulit, præbuerit; quàm ingratham! quàm impiam! quàm omnibus acceptis beneficiis indignam! Si rem spectes Oeconomicam, magno divitiarum affluxu illam quasi inundavit. Pisces omnis generis undæ; varia frumentorum ac animalium genera agri; plurima metalla ac vina montes; fructus numero penè plures horti; utilissimas lignationes & venationes sylvæ, lucrosissimas navigationes flumina & maria præbuerunt. Præcelluit Germania hæctenus præpotentibus ac turritis urbibus, amœnis oppidis, castellis, vicis, pagis, arcibusque penè innumeris sese ostentavit. Nihil ad bellum,
nihil

nihil ad otium & pacem ipsi defuit: aurò, argentò, gemmis, pretiosâ
supellectile, superboq; ac magnifico vestitu nullas non provincias &
nationes superavit. Rem politicam si spectes, status ejus fuit flo-
floquentissimus. Præ omnibus alijs populis decus ac majestatem supre-
mi imperij, per multa secula, obtinuit: quæ sanè præ eminentia & di-
gnitas, quanta sit, quis non intelligit? Imperatores, Reges, prin-
cipes, Duces habuit & fortissimos, & felicissimos, fuitque
divinitus quasi destinata heroum patria: Libertate sub
ipsorum imperio usa fuit exoptatissimâ: Legibus ac constitu-
tionibus optimis instructa, apud omnes populos æquitaris & ju-
stitiæ laude maximè inclaruit: tam sapientibus sanctionibus, ordi-
nibus ac publicorum munerum ritibus in unum Reipub. corpus coa-
luit, ut simile quid nullum unquam viderit seculum. Fuit terrori o-
mnibus hostibus, insigni rei militaris peritiâ, & infractò animo-
rum robore, infinitas propè victorias, de Turcis, de Hunnis, de Gallis,
de Hispanis, de alijs gentibus plurimis, reportavit. Et quia concor-
diæ maximè semper studuit, invicta hætenus exstitit, omnibusque
nationibus, bello laborantibus, fortissimum communicavit militem.
Rem tandem Ecclesiasticam si præcedentibus subjungas, ubi, quæso,
ea magis floruit? ubi minori cum errore, majori autem cum fructu
semper perculsa est? Quot enim, quæso, templa, quot Cœnobîa, quot
scholas Triviales ac Regias Germana fundavit pietas? Dies me ci-
tius deficeret, quàm vel millesimam earum rerum partem attinge-
rem, si ad speciem digredi vellem. Verùm, ut cætera missa faciam,
ad id progrediar, in quo rei cardo vertitur. Quanti, quæso, illud
faciendum, quod tum humanioris literaturæ instauratio, tum Re-
ligionis Reformatio in Germaniâ initium sumpserint, indeq; ad alias
porrò gentes propagatæ fuerint. Omnia enim per omnes mundi an-
gulos Traditionum humanarum tenebris sepulta quasi & obru-
ta jacebant; nullibi verbi divini præconium audiebatur: horrida
Barbaries omnem cultioris literaturæ lucem planè exstinxerat: in
templis horrenda dogmatum portenta: in scholis pudenda solacismo-
rum

rum monstra discentium aures circumsonabant: nihil sani, nihil in corrupti uspiam audiebatur. At Deus tandem has plusquam Aegyptias tenebras, hancq; infandam cæcitatem miseratus, ex immensâ suâ misericordiâ erga miseros & seductos homines, lucem doctrinæ suæ celestis, per Megalandrum illum Lutherum, aliosq; viros Entheos, denuò accendit, accensamq; ad hoc usq; tempus claram atq; puram Conservavit. Verùm cognoscite nunc, quæso, quantâ ingratitude, quamq; deploratâ impietate Germania hæc omnia contemserit! Egregias opes, quas non modiò, aut trimodiò, sed totò quasi horreò Deus ipsi adensus est, abusu, luxu, fastu inaniter protrivit: summum illud imperij decus, quod saluti ac solatio omnibus esse debebat, in Evangelicæ veritatis exitium vertit: Robur imperij intestinis ac plusquam beluinis lacerationibus pessundedit. Leges optimæ iniquitati patrocinari sæpe coactæ sunt; in scholis fuerunt puræ virgines, in forò meretrices; summum illud & æternâ memoriâ dignum utriusque Reformationis opus, planè contemptim habitum, & cyclopicâ quâdam immanitate pedibus conculcatum est. Quis hodiè melioris literaturæ honos, quis amor? ubi fides? ubi pietas? ubi virtutis & honestatis cultus? pudet harum rerum omnium, nihilq; tam turpe à multis judicatur, quàm pium esse atq; eruditum. Quod cum ita sit, quis non videt hinc abeundum, Germaniamq; ve ultricibus divini furoris flammis relinqvendam esse? Ego sanè divinæ Iustitiæ rigorem implorare non desistam prius, quàm Germania debitas pro tantis sceleribus exsolverit pœnas. Hoc ut faciam, me movet divinæ Iustitiæ ratio, que impunè violari nequit; impellit inde reditura ad omnes utilitas: sic enim pessimi hi Phryges, qui aliter nequeunt, plagis emendabuntur; cogit Necessitas, quæ tanta scelera impunita dimittere nequit: Imò invitant etiam omnes circumstantiæ, quæ, & quàm facilè nos alibi locum invenire possimus, & quàm difficulter Germani corrigi possint, satis ostendunt. Tu ergo, Deus justissime, qui ignis consumens es, ne impunitam, quæso, hanc dimitte malitiam.

TEM-

T E M P E R A N T I A .

S I ad leges meas, Sorores dilectæ, temperanter vixisset Germa-
 nia, nequaquam vel ipsa jam periclitaretur, vel nobis de eâ dese-
 rendâ ineundum esset consilium. Quod enim sceleris & impietatis ge-
 nus ex intemperantiâ, à qua sedulo illam dehortata sum, originem
 non trahit? citra delectum omnes promiscuè voluptates; turpes
 etiam & belluinae, nullâ prorsus honestatis ratione habitâ, immode-
 ratè expetuntur, quæ hominum animos enervant, intellectum hebe-
 rant, & ad omnis generis flagitia; ad promiscuas libidines, ad impu-
 ras scortationes, ad ebrietatem, quæ omnium malorum initium est &
 radix; ad injustitiam, & alia vitia longè plura, impellunt. His au-
 tem vitijs si homines sese dedunt, nihil virtutis nihil humanò nomi-
 nedignum sibi reliquum faciunt; sed toti corrupti ita se prostituunt,
 ita ad sordes abijciunt, ut nihil inter ipsos & quadrupedes, quibus
 ratio denegata est, intersit. Dolendum hoc erat meritò, & calidis
 deplorandum lachrymis, vitæq; melioris ratio ineunda: Verùm quo-
 tus quisque est, qui hæc attendat, & de corrigendâ vitâ cogitet?
 Omnes enim, concitatò quasi cursu, ad perniciem feruntur, & nihil
 minus, quàm quod ego precipio, cogitant & faciunt. Hi sunt homi-
 num hujus sæculi mores, hæc ingenia; ut vel nulla vel exigua emen-
 dationis spes supersit. Sic ubi verò admonitiones & præceptiones meæ
 contemnuntur & floccifiunt, à Germanis contemnuntur & floccifi-
 unt, sicut & vos ipsæ testari, & Ego jure querulari possum. Saluta-
 res & fideles meas admonitiones risu & sibilis excipiunt, nullumq; ve-
 libidinis, nullum intemperantiæ genus prætermittunt. Ad ebrieta-
 tem bibere olim probrumerat & flagitium, exiliò & morte mulctan-
 dum: verùm nunc abusus hic pessimus planè in consuetudinem abiit,
 adeò quidem, ut vir fortis ac strenuus habeatur, non qui virtutis est
 studiosus, sed qui ex die noctem, & ex nocte diem facit, masculè scyphos
 evacuat, & proposita præmia potando promereri studet. Hinc tan-
 ta Germaniam luxuria, tanta vitiorum colluvies invasit; hinc fur-
 ta &

ta & adulteria impunè patrantur, religionis ac pietatis nulla habe-
tur ratio. Quin imò horresco, quoties rem mecum cogito: horren-
dis blasphemis & contumelijs saepe Divina Majestas ab istiusmodi
maleferiatis hominibus temerè ad iram provocatur, ut demiranda sit
Dei omnipotentis patientia, quâ tanta scelera, tantamq; hominum
malitiam & improbitatem impunitam abire sinit. Verùm quod dif-
fertur, non aufertur: lentò gradu ad vindictam Divina procedit ira,
tarditatem verò supplicij pœnæ gravitate compensat. Quare quia
& ego Divinam ultionem jam imminere video, in Justitiæ senten-
tiam volens lubensq; concedo, & è Germania migrandum esse cen-
seo: Dabunt pœnas jam pridem promeritas homines nefarij, cumq;
magno suo malo discent, quàm periculosum sibi hoc nostrum sit
exilium.

PRUDENTIA.

TRia, ego, sorores dilectæ, prudenti viro spectanda semper ju-
dicavi: Deliberare diu, Comparare acutè, & mutare
sapienter, quæ imprudentiùs conclusa fuerint: Cùm non
tam ἐπιμηθεὺς quàm πρῶμηθεὺς vincere soleat, Prudentiq; viro præ-
cavendum sit, nè ipsi remigium obijciatur Dadaleum. Cogitandum
proinde hic quidem, & prudenter providendum est, ne canis nimium
festinans cæcos pariat catulos: sed tamen & illud, ne, dum Romæ
disputatur, Saguntum interim pereat. Deinde cùm non omnia con-
veniant omnibus, prudens rerum, Personarum, legum, bonorum,
malorum, locorum ac temporum delectus adhibendus est quod aliter
fieri nequit, quàm si diligens horum omnium collatio instituta fue-
rit, quò id, quod maximè è re esse videbitur, præ aliis eligatur. Nec
enim statim πρῶτωποληΐα fuerit, si Persona prudens personam ante-
tulerit; nec iniquitas, si quæ maximè prodesse visa fuerint, elegerit.
Tandem res ipsa saepe fert imò ipsa necessitas cogit, ut consilium mu-
tetur. Turpe enim non est cum re mutare consilium, & calculum
quasi reducere si, quod antea placuerat, in melius mutari possit. Dies
enim

enim sæpe diem docet, & quod operosa industria explicare non potuit, id casus interveniens explicat. Hoc cùm ita sit, diligenter in eam cura incumbendum est, ne quid à nobis incogitanter & perperam fiat; utq; præsentium ita habeatur ratio, ne vel præteritorum vel futurorum consideratio prætermittatur. Diligenter enim hic perpendendum:

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Idq; præcavendum, ne paulò post illud insipientium, NON PUTARAM, subsequatur. Quapropter benefactum à vobis, sorores venerandæ, quod ea, quæ nos omnes publicè attingunt, in communem deliberationem vocare voluistis. Me quod attinet, diffiteri non possum, præter omnem spem & expectationem, mores Germaniam invasisse corruptissimos, gravissimisq; pœnis dignos. Etenim ut paucula solùm, quæ meæ curationis sunt, in mediùm adducam, veræ prudentiæ ratio paucis in locis habetur. Successerunt enim verè Prudentibus pertinaces disputatores, & insulsi συββλευται, qui, licet pessimè consulerint, mordicus tamen sententiam suam defendunt, & licet non tam erraverint, quàm error ipse sint toti, erravisse tamen videri nolunt. Sunt præterea ignari & ignavi approbatores, qui, quæ nunquam legerunt, viderunt, vix audierunt, temerariâ approbatione confirmant: Sunt Hypocritæ, qui cùm flagitijs & sceleribus suis varia velamenta quarant, in superficie boni, in alto mali sunt: Ore parcunt, corde sæviunt, manu sunt mites, voluntate crudeles, de quibus verè dixeris:

Ah hodie laus est non ultima, fingere vultum
Et simulare probè, nec qui vel fallere non vult,
Mentirivè, feret sapientis nomen in orbe.

Sunt qui insuper habent, quid boni viri de ipsis sentiant, quibus illud notandum erat, cum pari contendere anceps, cum superori furiosum, cum inferiori sordidum. Sunt δωροφάγοι, quibus omnem oculorum ac sensuum vim, auri splendor, & sonori nummi sonus aufert: quibus illud planè incognitum; Valde inhumana-

num est, à nemine accipere, sed passim viliſſimum, omnia avariſſimum. Sunt stolidè creduli, qui, quicquid offertur, non solum credunt temerè, sed in plures etiam divulgant. Sunt mancipia alienæ libidinis, ac, liceat ita loqui, sputi linctores, qui præposterò adulandi studiò, ad turpiſſima quæque facinora connivent, privatim publico postponunt, & retinendæ benevolentie causâ, in omnibus turpiter assentiuntur. Sunt qui nimium festinant, qui ubi opus erat testudineò gressu, incedunt grillatorio. Sunt deniq; temerarij Polypragmones, qui quod inveniri nequit, quarunt, aut quod nocet inventum; Quiq; ubi plures dantur calles, deteriorem eligunt. In pauca me ut contraham, summa hodie Prudentia in multis mera ac vera est Fatuitas, quibus non bonæ leges & probati mores, sed errantis vulgi exempla, vitæ regulæ sunt. Quâ quidem ex re, quanta mala sequantur, quis non videt? Omnia sursum deorsumq; feruntur, & quæ paulò ante maximè florere ac vigere videbantur, in præceps ruunt exitium. Quæ omnia cum hæctenus, præ dolor! ea incrementa ceperint, ut vix ulla, duriora nisi adhibeantur remedia, emendatio sperari possit. Ego etiam facilè me eò perduci patior, ut in temporariam Germaniæ desertionem consentiam.

Etenim quis est, qui non videat, omnes passim Germaniæ incolas ferocitate & impietate se adeò obstrinxisse, ut immanitas Charitatem, ferocitas mansuetudinem, impietas Religionem, detestabile bellum, optatam & auream pacem foras eiecerit: Nullus hic Prudentiæ aut sapientiæ locus: stoliditas, earum induta habitu incautiores decipit. Nihil geritur consiliò, temerè fiunt omnia. In casu ponunt, quod arte & consiliò quærendum erat. In commendandis officijs, non ars, non industria, non ulla virtus alia; sed privatim commodum, cognatio, affinitas & huius generis alia spectantur. Solida eruditio susq; deq; habetur, inscitia, imperitia & execranda quædam his adjuncta versutia, à pleriq; magnifit & in pretio habetur. Ne ergo in tantâ rerum omnium confusione Ego unâ cum ipsis delirare & insanire videar, alibi mihi parandas sedes, alium quærendam locum
in quo

in quo à periculis & osorum insultibus tutae esse possim. Quid? non multum ad me rediturum esset gloria & laudis, si hic etiam si vellem & possem, diutius commorarer. Etenim verendum esset, ne, quod vulgò dici solet; Noscitur ex sociò, qui non cognoscitur ex se; etiam in me jaçtaretur, & ne promiscuè omnes me temerariam ac ferocem esse proclamarent, quod à naturâ & ingeniò meò alienissimum est. O Germania, Germania, quàm durum, quàmq; noxium & exitiabile tibi erit meum exilium! quàm subito ingruet tuus interitus, & labascent vires tuæ! Ve tibi, quæ tædio virtutum correpta, importunitate tuâ illas ejecisti. Fuit quondam hoc proprium Germania, ut hostes ad nomen ejus contremiscerent: Erat enim tunc virtutum domicilium, exemplum pacis & concordia, fovebatq; honestarum artium & disciplinarum studia: jam verò quid est? Fæda vitiorum Læna, honestatis, virtutum, bonarum artium & disciplinarum contemptrix, litigiorum & tumultuum concitatrix, discordiarum & contentionum disseminatrix; Paucis; Improbitalis, stoliditatis & impietatis alumna. Quare omninò deserenda est, & Furiis, aliisque scævis numinibus relinquenda. Sic luet, quas promerita est, pœnas. Me quod attinet, lubentissimè, sorores, vobiscum in exilium, si quod esse poterit, abeo. Germania interim, quia Prudentiam fastidit, suâ sese oblectet Morosophiâ & Stulticiâ.

FORTITUDO:

Quamquam, Veneranda virtutum cohors, Germania antiquitus sedem mihi quasi nativam præbuit; & propterea non desit causa, cur à sententijs vestris faciam divortium: attamen, quia tot Contumeliae exempla illa in nos omnes quotidie edit, facile hac in re vobis meum largior assensum; idq; inde adeò magis, quia vix aliquid Germani in Germaniâ residuum Conspicor. Elanguit enim jam olim illa omnibus hostibus tremenda Germanorum fortitudo, inq; audaciam & immanitatem degeneravit. Si quid adhuc pro fortitudine in eâ venditatur, Thraonica ut plurimum jaçtantia est, quæ nil, nisi barba-

barba-

barbaricam quandam ferociam effeminatam mollitiem, aut lupinam
feritatem, redoleat. Non enim hæc vera est fortitudo si quis præter
omnem rationem, in periculum audacter se precipitet, aut mercede
parvâ conductus, mancipium sese faciat alienæ libidinis; sed fortis si
quis audire velit, animum quidem, ut supra periculi metum gerat,
omniaq; & prospera & adversa fortiter contemnat ac toleret nihilq;
quod probonestate & salute patrie & Ecclesiæ adeundum sit timeat,
necesse est; Ne autem in excessu peccet, sed summa legi ut pare
at, turpiaq; ut timeat, maxime necessarium est. Hæc enim expetere,
diligere & admittere, imbellis & abjectissimi esset animi. At verò,
ubi hodiè ita fortis? ubi talis fortitudo? Nusquam: Nihil nisi inane
ejus nomen, & larva quædam superest fumosa. Hodie quippe furio
forum hominum impetus, rixæ, pugne, litigia, pullorum Martia
lium ronchi; & verba, nil, nisi cedes, crepantia, sub fortitudinis ha
bitu & titulò, apud plerosq; stolidè ostentantur. Quare tam demi
nuti & abjecti animi non sum, ut, tantâ Germaniæ recordiâ commo
ta, amoribus meis ad tempus renunciare nequeam. Indignissimum
enim hæc meâ Magnanimitate foret, si tantò eam desiderio expete
rem, ut à corrupta etiam divelli non possem. Illa vel luat pœnas scele
ribus suis dignas, vel ad tempus deseratur. Nihil sanè ad eam emen
dandam, tam conducere videtur, quàm si sibi soli relicta experiatur
tandè, quàm nullius planè sit roboris & consilij. Nemini ignotum ob
scururumve esse puto, quàm bellè sibi constant Regionibus illæ, à quibus
exulant Virtutes. Cùm enim fieri non possit, quin simul omnis exulet
felicitas indies in pejus ruunt & tantis per vacillant, donec, succi
sis omnibus Reip. basibus & fundamentis, penitus dissolutæ collabaf
cant, nec nisi virtutum reditu erigi possunt. Valeat itaq; & si poterit,
benè labeat Germania cùm, quæ ad salutem conducere possint audire
recuset. Quid sit Deum sprevisse, virtutes ejecisse, salutarem admo
nitionem postposuisse, experiatur misera. Quare maturandum puto
abitum, nisi vi extrudi & expelli velimus. Me idcirco, sorores cha
rissimæ, quocunq; locorum migraveritis, paratissimam vobis habebitis
pedissequam, aut si mavultis ducem,

RELI.

RELIGIO.

Subijciat :

Quoniam video unanimi plerarumque vestrum consensu, id, quod ab initio à me propositum fuit, approbari, nihil jam superesse aliud autumo, nisi, ut maturè, quod decretum est, executioni mandetur. Quamquam enim nonnulla à Spe & Charitate in contrarium allata sunt argumenta, non tamen illa tanti roboris esse videntur, ut plurimum suffragia evertere valeant. Taceo, quod & ipsæ circa finem purè submiserint &, postquam justitiam & ceteras virtutes audierunt, planè jam persuasæ videantur. Satis enim vel vultus earum, quid velint, quidve jam statuam, eloquitur. Ne tamen incertum pro certò assumatur, agite vos filia; tu Spes, tuq; Charitas, exponite, quid vobis nunc sit animi.

SPES.

Religio est mihi, Mater Carissima, vosq; ceteræ Sorores veneranda, vobis ulterius obloqui. Facite quod è re Christianâ atq; è fide vestra visum fuerit. Spero ego interim, fore paulò post ut huc revertamur. Deus enim Pater noster benignissimus, cujus misericordie non est finis, Germaniæ veræ ac seriæ Pœnitentiæ Spiritum immittet, & capitibus jugulatis noxiis, reliquos recipiet in gratiam; quo quidem solatio freta lubentiori hinc vobiscum emigro animò.

CARITAS.

Et Ego, Sorores carissimæ, in vestram nunc concedo sententiam. Quare non in malam, ut spero, partem interpretabimini, quòd ex piò affectu, in medium à me allatum est. Facite, quod justum vobis, nobisq; dignum videbitur; me semper obsequentissimam habebitis.

RELIGIO.

Placetis, filia dilectæ, dum non pertinaciter in semel conceptâ sententiâ persistitis. Quare, cum Germaniâ hodiè non solum improbissimis corrupta sit moribus, sed nos etiam, imò ipsum DEUM, cujus

cujus nos ministra sumus, ludibrio habeat, atq; à se repellat; agite, quò cœlestis Pater duxerit, sequemur. Ipse, si visum fuerit, nos in Germaniam sed meliorem olim reducet. Ne tamen tacita hinc abeamus, agite, hymnò lugubri fata Germaniæ deplorabimus.

Threnodiam cantantes abeant.



Actus II. Argumentum.

In dieser bösen Welt geht es so ins gemein /
Wo Gottes furcht zieht auß / da zieht der Teuffel ein:
Weil den auß Deutschland ist die Gottes Furcht gerückt /
Mit bitterm Hohn vnd Spott der Phœbus außgeschickt;
Die Tugend vnd was sonst Schön vnd Holdseelig ist /
Veracht / geplagt / verjagt / vnd vnterdrückt mit List;
Als kömpt ein böser Geist / Cacodæmon genandt /
Dazu Alastor auch ein Teuffel woll bekandt /
Die richten / lender / an viel schwere Krieg' vnd Streit /
Vnd füllen alle Landt mit grossen Herzeleydt.
Germania tritt auff mit dreien Nymphen schön
Daß sie den Haß vnd Zorn mit Gütigkeit aufföhn:
Ist aber ganz vmbsonst / weill sich auch dazu find
Eris die Stänckerin / vnd andr Teuffels Gesind /
Bellona vnd der Mars, die Friedes Störer seyn /
Die Furien sehr schwarz / so stiffen Angst vnd Pein:
Die Laster / vnd was sonst verführt der Menschen Herz /
Vnd nach gar kurzer Lust erreget ewign Schmerz.
Nichts anders wird daraus / weil weichen will Niemand /
Denn dz angeht der Krieg / verhäret Leut vnd Land. (nicht /
Nichts mehr / der Sathan kömpt; Ihr Herrn erschreckt
Dieweil es nicht ist Nacht / sondern Klar / Hell vnd Licht.

Actus




Actus III. Argumentum.

Weil in dem Deutschenland durch viel Vneinigheit/
Wie es zugehen pflegt / entstanden Krieg vnd
Streit /

Fengt sich gros Jammer an / ist alles voll Vnrub/
Vnd lencket sich mit Macht zum Vntergange zu.
Soldaten ziehen auff zu Wasser vnd zu Land /
Rauben / Mordn / vnd Brennen / verschonen keinen
Stand.

Fama macht ein geschrey hiervon in aller Welt /
Daß Jedermenniglich Herz / Sinn / vnd Muht entfält.
Soldaten Triumphirn / Bürger ziehn ins Elend /
Da denn kaum / wie es geht / ein Freund den andern kent.
Send still / hört fleißig zu / daß Heer tritt schon herein/
Wol dem / der von ihm mag allezeit entfreyet sein.



ACTUS SECUNDI

DELIBERATIO PRIMA,

In quâ,

Duo Cacodæmones, EPICHÆRECACUS
& ALASTOR, de invadendâ & seducendâ Ger-
maniâ, deliberant.

EPICHÆRECACUS.

O Fortuna! O fors fortuna, quantis commoditatibus, quan-
tisq; gaudijs hunc mihi oneras diem! quantô me nosq; om-
nes, qui contra salutem hominum, inq; Dei odium conju-
ravi-

G

ravi-

varium, exonerat metu! animus mihi, ita me magnus amet. Lucifer, præ nimio gaudio quasi rumpi videtur, nec ubi sim, quidve incipiam, quid primò, quid ultimò quid mediò locò agam, satis mecum cogitare possum. Tam enim insperatum mihi, nobisq, omnibus, qui malis gaudemus, accidit gaudium, ut verbis illud satis exprimere planè nequeam. Illud quod sit, si quis quærat, is, quæso, hæc paucula ex me cognoscat. Germania hætenus, qualis fuerit, quàm inuisa nobis, quàm detrimentosa Regni nostri incremento, quis est, qui ignoret? obsessa quasi fuit spiritibus adversarijs, ijsq, virtutibus & artibus, quas summò nos omnes persequimur odio, excelluit maxime: vix ulli nostrum, omnibus angulis precum votorumq, ad Deum suspirijs strepentibus, ad illam patuit aditus: verum nunc egressa est omnis illa nobis adversa colluvies; spiritus illi, qui bonos se profitentur Angelos, Germanorum sceleribus offensi, emigrarunt: Musæ, cum Gratijs ac Horis, excesserunt; nihil amplius loci odiosissimis illis a viculis, quæ virtutes appellitantur, relinquitur; parum abest, quin Atheismus, Epicureismus, & Barbarismus, in quibus cultus nostri pars posita est maxima; omnem jam occupet Germaniam. Deum sacraq, omnia pleriq, nobiscum, altò naso, contemnunt. Alij beluantur, comessantur, bacchantur, in eoq, toti sunt, ut nobis videantur quàm simillimi. Paucis, nullum tam atrox & immane scelus est, à quo abhorreant, nulliusq, rei eos tam pudet, quàm honestatis ac pietatis. In multis præterea religio nil, nisi mera superstitio; pietas nil, nisi hypocrisis, est. Quanquam verò nonnullæ adhuc supersunt coaxantes Ranae, nobis quæ obloquentur; ranae tamen illæ sunt, & à nemine gentis nostræ putridò fungò meliores judicantur. Coaxent itaq, illæ ad rabiem usq, meliorem mentem ijs, nostri qui sunt, nunquam infundent. Quare id spero futurum, atq, adeò totus confido, ut propediem Germania, à verò Deò tota avulsa, regno mancipetur nostro. Quid enim boni, quid divini in ea relinquetur, si omnis humanitatis ac honestatis cultus abjectus & pedibus quasi proculcatus fuerit; si vera religio, si pietas, si fides, si cætera

tera

terae virtutes omnes ab Ea proscriptae, exulaverint? Hae enim ubi
ita se habent, nos vicimus, & Regnum nostrum optata capit incre-
menta. Id verò adhuc nobis omnibus, quotquot à rectò bonòq; aver-
sas mentes gerimus præcaudendum est sedulo, ne Germania per co-
axantes illas ranas, quibus à concionando, objurgando, adhortan-
do, dehortando, quies nulla est, in viam revocetur. Quare ab infima
abyssi tenebris evocandū erit, quicquid nocere, corrumpere seducere,
& excacare valeat. Evocanda sunt Furiae, evocanda quaecunq; sca-
va & sinistra numina; omne vitiorū ac scelerum genus in aciem pro-
ducendum est. His adjungendi sunt, Mars, Mors, omnes Bacchi,
Veneres, Cupidines, & si quid aliud noxium videri poterit.
Pessima quoq; exempla oculis objicienda, & quaecunq; vel excogita-
ri possunt, invenienda sunt scelerum ac vitiorum irritamenta. In-
primis autem injustitiae ac impietatis virus altius animis instillan-
dum est. Hoc enim Philtro si qui dementati fuerint, ad sanio-
rem mentem redibunt nunquam. Deinde luxuriā, crapulā, comessa-
tione, honestatis contemptu, vitā dissolutā si quid adhuc superfuerit
boni, maturè suffocandum erit. Scholastica illa nugamenta,
quae maximopere Regno obsunt nostro, in summum adducenda sunt
contemptum, nec permittendum, ut juventus ad virtutis & pietatis
cultum amplius informetur. Quantum enim detrimenti eā ex re
nobis obtigerit, satis hætenus, maguò cum nostrò malo, didicimus.
Et profectò, nisi diligenter hinc excubuerimus, omnem operam ina-
niter ludemus. Nunquam enim deerunt, nobis sese qui opponant,
quiq; juventutem ex unguibus nostris eripiant, nisi omnes scholas
funditus radicitusq; exstirpaverimus. Ibi enim odiosa illa Scri-
pturarum, quas sacras vocant, explicatio est perpetua, quā ma-
nente, Regnum nostrum sartum ac tectum conservari nequit: Ibi in-
vidiosus ille juris codex, magno cum conatu inculcatur, quem ne
in alienū sensum ad eludendam justiciā, detorquere possimus, obstat
scrupulosa istorū homuncionū diligentia: Ibi virtutū studiū, quan-
topere nos etiam obnitamur, quotidie resuscitatur. Contemnantur

enim ab ijs homuncionibus nova nostrae virtutes, easq, suis, quas praedicant, & legi Divinae, quam semper in ore habent, è Diametrò, contrarias esse ad ravim usq, clamitant. Quà quidem insulsà importunitate efficiunt, ut multi à vitijs, quae nos virtutum encomijs decoramus deterreantur. Quae omnia, quantopere intentioni nostrae adversentur, quis non intelligit? Deinde verbi Divini Ministerium, quod vocant, omnibus modis exosum reddendum & in extremum contemptum adducendum est, quò illi, à nostrarum partium hominibus, nulla planè fides, nulla reverentia habeatur. Excitanda praeterea varia sunt schismata & diversa haeresium genera, eorumq, authores, contra orthodoxos, adjuvandi ac protegendi sunt, quò melior ac sincerior pars opprimatur. Omnia porrò turbis, tumultibus, seditionibus & bellis complenda sunt, quò, cum inter arma sileant leges, omnis sacri profaniq, juris ratio planè tollatur; Epicureismus inter homines, nostrà operà vix tandem enatus, confirmetur; omnia libidini pareant; nihil justitia & equitati. Id quoq, efficiendum est, ut homines rerum sacrarum, virtutis ac veri honoris pudeat; ut omnes honorum tituli, à veteribus olim Imperatoribus ac Regibus introducti, explodantur, distinctorumq, graduum dignitates, pro ineptijs habeantur scholicis; quò ita inter doctum & indoctum, bonum & malū, probū & improbum nihil sit discriminis: omnis contra decens ac laudabilis actio, omne existimationis decus exemplis aestimetur corruptissimis, & praesentibus delirantium Caco-Politicorum moribus conformetur, quod si fiet, vicerimus; inprimis, cum non infirma hujus rei fundamenta jam passim per Germaniam jecerimus. Nec verò est, quòd quis putet id effectu esse difficile, cum Deus furorem nostrum comescere valeat. Videmus enim Germaniam propter varia scelera, à Deo jam desereri, multosq, in illà in reprobum sensum jam tum traditos esse. Proinde, Deo permittente, jam ante corruptam facilimè totam corrumpere poterimus. Tandem ultima jam tempora sunt: quare cum parum spatij, ad exercendum furorem nostrum supersit, nullus locus socordiae
dandus

dandus est. In turbatis enim aquis piscari utilissimum est. Verum ecquis huc properat? Estne ALASTOR? Est; profecto est. Hic subsistam, ut, quid ferat, intelligam.

ALASTOR.

V Ab! Vab! hui! ah! ho! ho! ho! quàm prospererè cessere omnia! Quàm nihil planè vota fefellit mea! Eò rem in Germaniâ adduxi, ut bona nunc spes sit, fore, ut paulò post extremum sequatur exitium. Me impulsore, quibus antea illa subnixa, ceu immota rupes stabat, subversa, dejecta, & ejecta sunt omnia. Exulant, meâ operâ, ab illa MUSÆ; VIRTUTES exterminata peregrinantur; Religio proscripta contemnitur, nec ullum in eâ remansit numen, à quo res ipsius in integrum restitui queant. Nunc porrò desudandum est, ut incurabilis ipsi obijciatur rabies. Omnem proinde infernalem Furiarum colluviem, & quicquid nocendi vim habet, concitabo; & Flectere si nequeo Iuperos, Acheronta movebo.

EPICHÆRECACUS.

Q Vid cesso alloqui, cùm res tam optatas adferat? Heus ALASTOR! unde venis? quò tibi iter est? quid ita properas? quæ tanti tripudij causa?

ALASTOR.

H Em EPICHÆRECACE, tunc hic ades? optatum te mihi offers; neminem malim, quàm te.

EPICHÆRECACUS.

Q Vid ita? Satisne omnia in mundo malè?

ALASTOR.

Imò pessimè se habent fideli meâ & adiutorum spirituum operâ,
Id est, quod gaudeo. Venio ex Germaniâ ex quâ, quicquid no-
bis adversum erat, profligavi. Nunc Erebi sedes repeto, ut omnis
generis corruptelas, & Furiarum larvas inde in Germaniam
educam.

EPICHÆRECACUS.

Næ impensè lator, ob operam tuam tam feliciter impensam, A-
lastor! id tamen verendum, quin & præcaendum, ne si In-
fernales larvas eduxeris, dirro aspectu, multos deterreas. Scis enim
multos adhuc per Germaniam in omnibus ordinibus, superesse vi-
ros pios, qui nobis pertinaciter obsistant; scis, multos non tam ex
malitiâ quàm ex errore & inscitiâ lapsos esse; scis, plerosq; admo-
dum adhuc vacillare, nec, cujus sint partis, palàm profiteri. Hi
omnes, si fraudes subesse senserint diabolicas, si diritatem nostram
perspexerint, annon resiliunt? annon pœnitentiam agent, & à Deo
veniam impetrabunt?

ALASTOR.

Erras Epichærecace: Truncum me esse, judicas: Non ita res
agenda: Probè ego calleo hominum animos, teneomores: Spe-
ctra, & larvas fortissimi quiq; exhorrescunt, earundem
integumenta minimè: Mali Spiritus accessus si insensibilis
fit, non metuitur, larva terrori est. Larvas proinde Inferna-
les non sub horrido aspectu, quem præ se ferunt, in publicum produ-
cam, sed in lepidissimas veneres, pulchellos Cupidines ridiculos
Bacchos, aliasq; effictas species abscondam. Sic magnâ cum volu-
ptate ac plausu omnium admittentur. Viden? me ipsum! qualis
tibi videor?

EPICHÆRECACUS.

Qualis vero! Non sanè Alastor, aut Spiritus Infernalis sed fa-
cetus homo, habitu partim mirabili, partim etiam ridiculo
conspi-

conspicuis. Quid quæso sibi vult laxa & oblonga ista tunica, tot lineis albicantibus & fulgentibus intertextæ? Quid silvescens illud capillitium? quid thorax, tot rimis ac hiatibus fatiscens? infelicesne partus minitatur? Ocreæ hæc informes ac duplicatæ, sibi quid volunt? quid reliquus habitus, nimio opere affectatus, qui risum mihi, cum te primum aspicerem, movebat maximum.

ALASTOR.

Quid sibi hæc omnia velint, queris Epichærecæce! Tardus es! Hamus hæc mihi sunt, quo stultos homines inescare ac decipere soleo: quò minus, qui sim, agnoscar, hoc sub habitu me abscondo. Levitas plerorumque hodie tanta est, ut, instar Prothei, singulis horarum momentis transmutari gestiunt: Nihil in externo corporis habitu, tam ineptum, stolidum ac portentosum fingi, aut excogitari potest, quod non stultissimi quique imitentur. Ego itaque omnia fio omnibus, plures quò decipere valeam. Extrinsecus me si quis spectet, quantivis pretij vir videor; sin verò intrinsecus, impurissimus & nequissimus sum spiritus. Viden' caudam? Viden' pellem lupinam?

EPICHÆRECÆCUS.

Places, Alastor, aut Te duce, aut alio nullo Germaniam expugnabimus. Perge sis modo, & si quâ fraude, si quâ arte vales, eam experire omnem, quò decipias, quò seducas & corrumpas, quicquid pietati adhaeret. Nos omnes habebis adiutores promptissimos. Quin & mihi habitum hunc jam mutandum intelligo, ne, quòd arte tu, doctisque dolis hæctenus egisti feliciter, meâ Ego torvitate & incivilitate interturbem. I præ ad inferos: Te sequar: paulò post hæc revertemur.

ACTUS

ACTVS SECUNDI
DELIBERATIO SECUNDA,

In quâ
Germania, cum tribus Nymphis consul-
tans, introducitur.

GERMANIA,

Quod vos huc evocandas cura verim, filia carissima, id æ-
grè ne feratis, aut sine gravi causâ à me factum existi-
metis, velim. Non ignoratis, filia dilectæ, quantâ, post
proximam transactionē, per aliquam multos annos
in Regionibus vestris, usa fueritis libertate, quamq; fortiter omnem
vim hostilem inprimis immanitatem Ottomannicam profligave-
ritis. Verùm, repressò ad tempus hoste illò extraneò, cum almam
mibi & auream pollicerer pacem, præter spem, insidiis Diabo-
li, discordiarum intestinarum flammæ hinc inde, & in nullis non
filiarum mearum penetibus, gliscere visa sunt; tandemq; eò res no-
stra, prò dolor! prolapsa est, ut, nisi maturum inveniatur remedium,
omnia in exitium ruitura videantur extremum. Propter varia e-
nim sectarum & schismatum, quæ aliud ex alio, tanquam capita
hydra lernææ, hoc seculo, maximâ copiâ, pullularunt, genera, tan-
tas dissensiones, & S. Imperij lacerationes futuras prospicio, ut, nisi
Deus I. O. M. benignè nos respexerit, bella metuenda sint funestis-
sima. Cum igitur, qualia quantaq; bellum secum trahat incommoda,
vos minimè fugiat, & propterea illud non possitis non modis avarsari
omnibus; Consulite, quaeso in medium, quodnam huic subnascenti
malo maturum inveniri possit remedium. Et, si quâ ratione fieri po-
terit, in gratiam & concordiam redite. Nihil enim adeò à nobis exi-
git Deus, quàm mutuam dilectionem. Nihil tam inculcat S.
Scri.

Scriptura, quàm charitatem: In hâc totam Legem absolvi affirmat, nihilq; sine hac ceteras virtutes & bona opera omnia esse pronunciat. Hoc te moveat, Tarpeja, quæ vel solis hîc, cælum Te, Tuosq; promerzei posse confidis: Moveat te, Saxonica, quæ charitatem præcipuum fidei florem & fructum esse novisti: Moveat tandem & Te, Palatina, quæ sine atheismi labe, tuam mundato Divino severissimo obedientiam detrectare non potes: Moveat vos omnes, nisi concordēs fueritis, periculum. Ubiq; enim mihi inhiantes videtis hostes, undiq; ingruentes videtis tumultum fluctus, omni ex parte imminentes discriminum scopulos, ut ita non ratio illud svadere, sed necessitas cogere si videatur, quæ, unquam fuit magna nunc certè est maxima. Nec quod prætere possitis, habetis. Difficultatem enim si objeceritis, quæ per Deum immortalem Difficultas! Imò quæ non facilitas? Facilius certè est bonâ cum gratiâ exortas lites componere, & pacem colere, quàm bella gerere cruentissima & sumptuosissima: animis modò & consilijs pacificis si usæ fueritis; cætera sponte suâ consequentur. Rem fortassis arduam, & lites, non de lanâ caprinâ, quòd ajunt; sed de Religione exortas, inter nos agitari, objicitis: At verò jurgisne & rixis perpetuis controversiarum tollitur dissensio? Ne quaso pestilentem hanc fovantis opinionem Lites illas & controversias, potiùs, quæ de Religione sunt exortæ, placidis componite colloquijs, legitimisq; tractate concilijs. Hic scilicet modus est, quò sacra tractata novi à pijs veteribus. Si verò quòd tamen ominari nolim, & ne fiat, Deum anxius precor suspirijs, de Fidei & Religionis negotio concordia iniri non possit, pacem nihilominus Politicam, ut hætenus factum est, publicè colite, neq; mutuis dissidijs ac bellis intestinis vobismetipsis nervos incidite, anti-quamq; Germanorum potentiam labefactate. Quæ enim dementia & vesania; imò, quæ vecordia ac stultitia est, conscientijs humanis, pro imperiò, dominari velle? Divini numinis, non hominum hoc opus est. Nec Religio armis vult cogi, sed rationibus persvaderi. Deus T. O. M si quando ipsi visum fuerit,

H

quiquid

quicquid adhuc errorum superest, aut Spiritus sui Sancti molimine sedabit, aut divinae suae vindictae falce ressecabit. Huic rem committite totam: Probè ille quid factò opus sit, sciet. Vestrum interim vos facite officium, Pietati & morum sanctimonie studete; Antiquam virtutem & Fidem colite: Perfidiam, luxuriam, injustitiam & alia vitia, Germanis planè indigna, fugite: Nullas vobis invicem mutuarum suspicionum ansas praebete, neq; aliae alias despicatui habete; sed, veluti unius corporis membra, una mente unaq; voluntate, regi vos patimini. Haec omnia ut facilius impetrem, moveat vos hoc senium meum, quod, ne, in tantò omnium virium decrementò, externo periculo aut civili bello obijiciatis rogo: moveat vos salus propria, quae, nisi pacem & concordiam colueritis, facta ac tecta esse nequit: moveant vos haec lacrymae meae, quas ubertim profundo: moveant, inquam, vos, haec omnia, nec committatis, ut, quae virgo, quae juvencula, armis virisq; clarui, quaeq; omnibus circumvicinis populis terrori sui, nunc, in venerandà hanc senectà, omnium exponat ludibrio.

Nympha T A R P E J A sic loquitur.

EGone, mater, degeneribus ut cedam sororibus? ut, quod vi & fraude mihi ereptum est, jure non repetam? ut haereses non abominer? non vi & arte excindere coner? Absit, hoc mihi persuaderi ut patiar. Quin potius id me dignum arbitror, ut, si nullà alià re possim, vi & armis ad obedientiam illas compellam. Id enim postulat Romana & verè Catholica Ecclesiae majestas, atq; Sanctissimi Christi Vicarij authoritas, cui non minus, quàm ipsi Deo, parendum est. Ille quippe est caput Ecclesiae nostrae Catholicae, ille in his terris ab omnibus, instar numinis alicujus, venerandus & adorandus est. Svadent id omnium sanctissimorum Patrum, inprimis qui à Jesu denominantur, probatif

batissima consilia, quæ unicè nostram Ecclesiam suffulciunt. Qui-
 bus quis in his terris sanctior, præter summum Pontificem?
 Hos Deus constituit, ut nobis, non secus ac pastores ovibus, præ-
 sint; illi sunt soli, qui Hæreticos, quoquomodo id fieri possit, ad verè
 Catholicam nostram Religionem, volentes adducunt, nolentes
 compellunt; illi numerum nostrum indies magis magisq; adaugen-
 gent; seductorum animas pijs suis precibus, instauratoq; quotidie Missæ
 sacrificiò, è Purgatorio liberant. Idem quoq; tot decreta & concilia
 imperant ut lapis sit oporteat, ea, quem non moveant. Et quid quæ-
 so, decentius, quàm ut, sicuti unus communis omnium est pastor,
 unus Christi Vicarius; ita una etiam sit Ecclesia? Quid conve-
 nientiùs, quàm ut pauciores pluribus cedant? At enim quanta
 amplitudo Romanæ est Ecclesie? quanta contrà angustia Ecclesie
 Hæreticorum? Nulla planè, si rem ipsam æstimes, inter utramq;
 est proportio. In quibus, quæso, angulis, sorores ineptissima,
 hæresis illa pessima, quàm vos, heu dolor! fovetis, floret? An-
 non decremenda ubiq; capit maxima? Quid, quæso, fit? Nonne
 ex singulari Dei providentiâ, qui nostram Ecclesiam ad finem
 usq; mundi incolumem vult conservare; vestram autem destrue-
 re? Quid? idne dignum verâ Ecclesiâ, ut Hæreticis cedat, &
 eos in gremiò suo toleret? Nequaquam. Quanta enim incom-
 moda inde orirentur? quanta mala? beatorum numerus ita de-
 minueretur: Christus cum Belial; Belial cum Christò; Cælum
 cum infernò; Infernus cum cælò misceretur, & turpissima fie-
 ret veri & falsi confusio, quod omnibus modis præcavendum est.
 At enim, quin Romana & Catholica nostra Ecclesia sit vera Ec-
 clesia, nullum planè debet esse dubium; ipsum nomen quod est Ca-
 tholicum, hoc evincit: Quod, quid, quæso, innuit aliud, quàm
 quòd nostra Ecclesia sit Universalis. Fuit enim nostra hæc Ecclesia
 semper amplissima, & per totum terrarum orbem disseminata,
 quæ, licet nonnulla hætenus (proh dolor!) incommoda ab Hæreti-

cis pessimis acceperit: tamen, ut firmiter confido, vires resumet, & in omnes mundi angulos denuo propagabitur. Quoad præterea longissimè mens mea potest respicere spatium præteriti temporis, & Orientis Christianismi memoriam recordari ultimam, video hanc Ecclesiam esse antiquissimam, & nullò non seculò ab omnibus fuisse honoratam. Quid itaq; hostes nostri frustra moliuntur? Cur illam extinguere gestiunt, cum videant, nec portas inferorum illi unquam prævaluisse? Stabit Romana Ecclesia, florebitq; quoad hic mundus steterit, nec ulla vis poterit esse tanta, illam quæ destruere ac subvertere valeat. Et quid, quaeso, est, quod adeò fremant ac crepent contra hanc Ecclesiam, nudius tertius, ceu præcoces fungi, exati Heretici & Schismatici? Annon illa à plurimis, imò omnibus antea gentibus ac populis, ut pro Sanctâ & Vnica ita etiam verè Catholicâ Ecclesia habita fuit? Annon semper præ cæteris, ut Luna præ reliquis stellis, præfulsit, excelluit? Annon perpetuâ & non interrupta Pontificum successione, Universales totius Ecclesie Pastores sortita, atq; inde veritatem suam satis testata est? Quanta itaq; audacia, imò quanta malitia Hereticorum est, quod illam traducere & convitijs incessere non verentur! Suffragantur huic nostræ Romanæ Ecclesie omnes Patres, suffragantur omnia concilia, suffragantur Historici, Suffragantur Doctores Scholastici, qui uno omnes ore, quòd hæc nostra Catholica Ecclesia, & nulla alia sit vera Ecclesia, in scriptis suis satis superq; testantur. Quot porrò miracula & prodigia hanc Ecclesiam confirmarunt? tot profecto, ut, si omnia enarrare hic vellem, dies me citius deficeret & vox, quàm materia copia. Quin imò, quod omnium maximum esse puto, ipsa Hereticorum confessio, pro Ecclesiâ nostrâ Catholica militat, quorum Majores, ut nolentes, volentes, concedere coguntur, olim Romanæ Ecclesie membra fuerunt: ipsiq; adeo, si quid boni adhuc habent, illud aliunde non habent, quàm ex Ecclesia nostra Romanâ, à qua & ipsum Sacre Scripture Codicem, & Patres & cætera omnia acceperunt. Plura in
hanc

hanc sententiam jam proferre, nec necessarium, nec utile esse existi-
mo: Ex dictis satis constat, quantum Romana Ecclesia alijs omnibus
antecellat. quodq; justum & equumq; sit, ut pauciores cedant pluribus.
Et quotus quisq; quæso, tam malè ad ratiocinandum instructus est,
qui caput ad membra, non membra ad caput redire, debere existi-
met? Quin potius illi, qui præter jus & æquum recesserunt omni
jure, ad obedientiam retrahi possunt. Si qui vim experiri malue-
rint, quàm bonâ cum gratia cedere, vi adhibita compellendi erunt.
Nequaquam enim diutius ferendum est, ut infelici hac Seessione
unitas Ecclesiæ divellatur, & tot animarum millia in aeternum præ-
cipitentur exitium. Non permittendum, ut bona Ecclesiastica, quæ
per vim & non ferendam Injuriam Ecclesiæ erepta sunt, diutius in
varios abusus convertantur: Ulciscenda sunt damna plurima, quæ
à Violentis hisce, & Sacrilegis raptoribus accepimus, damna. Pos-
sunt Principes nostri Potentissimi sine ulla difficultate, rigidam
exercere vindictam; imò gestiunt hoc facere, utpote qui ad hoc ne-
gotium semper extiterint promptissimi. Nihil est, quod quis objice-
re velit: Si vires, si opes, si cætera belli adminicula vobis in prom-
ptu fuissent, jam olim omnes nervos in excindendis Lutheranis
experti fuissetis: Nobis enim semper fuere Sapientissimi & Fortis-
simi Duces, Consiliarij Optimi, vires maxima, divitiæ haud con-
temnenda, nec non belli apparatus instructissimi: quos si Hæretici
habuissent, Ecclesia Romana jam olim, quantus illorum furor est,
funditus eradicata fuisset: Quod verò numen benignius clemen-
ter avertit hætenus. Quare cum tantopere illi semper in cadem &
exitium Ecclesiæ nostræ incubuerint, non amplius ipsis parcendum,
aut ultionem in aliud tempus differendam autumo.

Nec ulla mihi pacta, Juramenta, Transactiones, Leges jura-
tæ & Fundamentales, quo minus, quod meditor, faciam, illosq; aut
ad gremium Ecclesiæ vi compellam, aut, si obsequi nolint, planè ex-
scindam. Hæretico enim non est servenda fides: cum Iuramen-
mentum contra DEUM & salutem Ecclesiæ factum, irritum esse

debeat; Et Pontifex ab omnibus juramentis, quoties vult, absolvere possit. Quid? Hæretici sunt quasi deliri & insani; quibus si quis fidem servandam putaret, Is meritò & ipse pro Insanò haberetur. Doctis potiùs dolis, & pijs fraudibus; cum in salutem ipsorum id cedat unicè, circumveniendi sunt, dandaq; opera, ut, si non bonâ cum gratiâ, vi tamen & fraude, ad officium compellantur. Quare nequaquam mihi cedendum, sed vi potiùs & armis utendum video, quemcunq; tandem eventum ea res sortitura sit.

Nympha SAXONICA.

QUæ hæc, Soror, est immanitas! quis furor! quis fastus? imò quæ cæcitas? quæ perfidia? Nil, nisi vim & arma minitaris, & nescio quam non potentiam, rectiùs dixerim, licentiam, Tibi arrogas; Me contrâ, ceu spuriam, nunc Hæreticam, nunc nescio quid non appellitas: Quasi verò te ignobilior sim ego, aut, quia viribus sum inferior, causâ etiam & jure sim deterior! Si Me Hæreticam judicas, cur non jure experiris? Cur non ex sacratissimis verbi divini pandectis, erroris me convincis? cur non legitimò Conciliò rem disceptas? Quis vel fando unquam audivit, ad manifestos errores & horrendas blasphemias, quæ ne unicâ quidem ex sacris pandectis literâ defendi possint, sub pretextu juris Ecclesiastici, & authoritatis Pontificia, compellendos esse homines? ad fidem igni, ense, rotâ, suspendio, cruciatibus cogendos esse eos, qui se ex verbo Dei informari & convinci obnixè rogant. Imò quæ tua est cæcitas, Soror, quòd in tantâ Evangelij luce, errores tuos tantos non agnoscis? Quæ perfidia, quòd nullis sanctè factis promissionibus, nullis juramentis Te obligari putas? Unde hoc habes, quòd perjuriis, fraudibus, dolis, alijsq; technis homines ad superstitiones & blasphemias sint pertrahendi? Quia itaq; planè iniqua, immanis, superstitiosa ac perfida es, age, paucis ex me cognosce, quid ad calumnias

lumias

lumnias tuas respondeam, quidq; Mihi sit animi. Nequaquam Tibi concedo me esse Hereticam, multo minus id, quod à verâ Catholicâ fide defecerim: Signa siquidem & vera vera Ecclesie requisita si respexeris, nullum eorum in Nobis desiderari, apertè, confitearis, necesse est. Non enim, Nos, ut Tuperperam facis, verbi divini puritatem, impuris hominum traditionibus, conspurcamus, nec, quod maximè blasphemum, à verò & legitimò Sacramentorum usu Laicos excludimus, sed omnibus ea, omni personarum respectu longissimè sepositò, ut Christus voluit, aequaliter distribuimus. Cui accedit & hoc, quòd hac nostra Ecclesia primæ & apostolicæ Ecclesie planè conformis est, nullaq; planè ratione ab illâ discrepat. Quid enim illa aliud, quàm Christum pro omnibus omnium hominum peccatis sufficiens λότῶν factum esse, credidit? Annon ipsius meritum, ad æternam salutem & gloriam consequendam, sufficiens esse palàm professæ est? Tu si negas, inspicere sacras paginas & rectius edoceberis; inspicere illud Divi Petri effectum; Non est in alio nec aliud nomen homini datum, in quò salvari oporteat, nisi in nomine Jesu Christi: Audi illum gentium Apostolum, qui: Gratia Dei, inquit, salvi facti estis idq; non ex vobis, Dei donum est; non ex operibus, ne quis gloriatur. Annon mecum solum Deum adorandum esse, sanctè statuit? Annon Traditiones humanas gravissimè reprehendit & abominatur? Consule & hic sacrum codicem, & omnis dubitatio, si qua esse poterit, Tibi eximetur. Vides itaq; Soror, quàm non ferendam mihi meisq; omnibus injuriam inferas. Quod ut evidentiùs pateat, utq; Te manifesti erroris planè convincam, paucis, quæ contra me attulisti, oppugnabo; quin &, ut spero, expugnabo. Pontificem Christi esse Vicarium prædicas; sed cujus autoritate? Ipsius fortè CHRISTI? An verò unquam ex Sacra Scripturâ demonstratum fuit, CHRISTUM Vicarium in terris talem constituisse, qualem Tu te prædicas? Apostolos quidem in totum terrarum orbem emisit, ut Evangelium prædicarent & docerent;

rent;

rent; aſt nullibi de conſtituendo vel conſtituto Vicario. litera vel uni-
ca exſtat, qui ſit ejuſdem cum Chriſto poteſtatis & gloria. Nam
neq; Chriſtus tali indiget, cum ipſemet præſens ubiq; Eccleſiam
ſuum per miniſtros regere poſſit; nec Pontifex ille, vel ullus alius
homo ad munus illud obeundem ſufficiens eſſe poteſt. Quis igitur
ſtatueret Chriſtum vel abjectum à ſe regimen aliis commen-
daſſe, vel hominem, & Pontificem quidem Romanum, gloriâ &
honore ſuò donaſſe, cum ipſe dicat, ſe gloriâ alteri, non daturum
eſſe. Quid præterea de falſo iſto Vicario, rectius nefariô falſariô
dicam? Annon is Chriſto in omnibus contrarius eſt? Chriſti eſt
Vicarius? cur igitur Regnum & regimen Politicum poſcit; imò cur
invadit? Cur non potius cum Chriſto dicit; Regnum meum
non eſt de hoc mundo? Quod Chriſtus ſuſpexit, Pontifex deſpi-
cit; quod Chriſtus deſpexit, Pontifex ſuſpicit, & ſibi arrogat. Chri-
ſtus olim paternè admonuit; ſummâ cum manſuetudine docuit &
duxit homines, ſalutem eorum promovit, alijs miniſtravit, abdicavit
ſe honore & gloriâ; Pontifex minatur, atrocitate perteret, exitium
hominum, enecando, cremando, devaſtando, quærit, alios, &
omnes quidem ſibi ſubjectos eſſe diſcupit; honores indebitos & divi-
nos ſibi exhiberi jubet. Quodſi igitur Chriſto in omnibus contra-
riatur, quis ipſum Vicarium ejus credat? Multa præterea contra
Chriſtum, ipſiusque mandata facit. Quando enim, quaſo, Chri-
ſtus vendidit aut vendi juſſit aurô cælum? Quando à clariffi-
mis ſcripturis ad humanas Traditiones homines ablegavit? Imò
quando ſub vite periculô & omnium bonorum jacturâ à verbi divi-
ni lectione fideles Laicos prohibuit? Et quorſum plura? Quod Chri-
ſtus juſtum & licitum; Pontifex peccatum; quod Chriſtus pecca-
tum, Pontifex juſtum ac licitum pronunciat. Corruit itaq; quòd
Chriſti Vicarius ſit Papa; corruit, quod non minus, quàm ipſi Deo,
illi obediendum ſit. Cetera, quæ adfers, jam olim ſoluta & pro-
trita ſunt. Scio quod Doctõribus fides adhibenda ſit; verùm vera
ſi doceant, & cum verbo di Vino congruentia. Scio quòd magna
concilio-

conciliorum fit authoritas: verum secerno Concilia divinitus gubernata, à conciliabulis impiorum; Conciliorum sana & verbo divino convenientia decreta, ab obreptitijs erroribus & nevis. Scio, quod vetustissimi patres cum Episcopis Romanis faciant; Verum cum ijs, qui tempore Apostolorum & paulò post vixerunt, non cum hisce, qui hodiè se non Episcopos, sed Reges orbis terra profitebuntur. Non porrò ex amplitudine & splendore externo vera Ecclesia estimanda est; sed ex puritate doctrinae caelestis, legitimo sacramentorum usu, & vitâ verbo Dei conformi: Frustrâ etiam jactatur antiquitas sine veritate; & vera antiquitas est, non qua aliquot solum seculorum est, sed qua primævam Ecclesiam coetaneam, & consentientem habet, qua antiquum illum dierum authorem agnoscit. De perpetuâ Pontificum successione quod dicitur, tanti roboris non est, ut me commoveat. Puto enim diligenter secernendam esse successionem in locum & nudum nomen seu titulum, à successione in fidem, doctrinam & rem ipsam: Cum non omnis, qui in locum vel sedem succedit, statim etiam eandem, quam antecessores, tueatur fidem; quod è Pontificum & scribarum apud Judaeos exemplò satis liquet. Signa tandem & prodigia, qua & ipsa jactantur, duplicia esse, quis non videt, Apostolica; qua nostrae fidei; & Antichristiana, qua modernae Romanensium perfidiae patrocinantur? Illa suspicio; haec, ceu impuri & mendacis cacodæmonis deceptiones, aspernor & fugio. Quod superest, non ego defeci à fide Christi, sed ab Antichristi perfidiâ; non abjuraui fidem; sed deserui perfidiam & superstitiones, qua veram fidem adulterant; Sacramenta & verbum me accepisse credo, non ab Antichristo, sed ab Ecclesiâ, ab Antichristo oppressâ. Majores meos puto fuisse in Ecclesiâ pressâ, & privatos fuisse sincerâ verbi predicatione, & legitimo Sacramentorum usu, non suâ culpâ erravisse. Proinde, cum non privatio hic sed contemptus damnet, bonam de ijs spem concipio; praesertim, cum in agone mortis & angoribus conscientiae constituti, missis papalibus superstitionibus & nugis, ad Christum

1

confu-

confugerint. Quin & multi semper in Ecclesia furori Antichristiano contradixerunt, & simplices, proposito verò Dei cultu, ad Christum perduxerunt, è quibus veritatem majores nostri, quantum ad fundamenta fidei attinet, addiscere potuerunt. Præterea non est, Soror, quod de ullis illatis damnis & injurijs queruleris. Fraudes enim, dolos, & errores detegere, superstitiones notare, bona Ecclesiastica, sublatò abusu, vero usui restituere, non est damnum inferre aut ledere. Nec Tu probare potes, quod Tibi vel minimum quid, tuum quidem quod fuerit, à me sit ablatum, aut de bonis Ecclesiasticis detractum. Quod bella tantoperè crepas ac cupis, hoc tyrannicum & immanè est, sciasq; velim, quod facilius bellum suscitetur, quàm suscitatum sedetur. A juramentis deniq; quæ Tu ludos ac jocos putas, nulla creatura liberare potest, & fidem sanctè datam non servare, manifesta perfidia est. Quare desiste ab hoc furore, Soror, & si quam Tibi injuriam factam putas, eam jure discepta. Si quam hæresin in me inesse putas, eam in legitimò demonstra conciliò Errores, quos demonstra veris ex verbo Dei, morigera abjiciam, nec Tibi ullam irascendi in posterum præbebo causam. Veritatis causà Tecum pugno, non errores amo.

N Y M P H A P A L A T I N A .

Non ego, Soror, satis mirari possum, unde nam Tibi isthæc sit arrogantia; unde tam cruda acerbi odij immanitas: quâ, quæso, spe freta, quove inflata fastu tantas crepas minas; tantis nos oneras calumniis convitiisq;? Agnoscimus quidem Nobis Te viribus ac armis valentiorem esse; at, quod causæ bonitate etiam vincas, id nobis persuaderi non patimur. Si tamen non jure & sanis consiliis, sed armis ac vi rem experiri vis, id DEO Nos committendum putamus. Scias interim, tam abjecti ac deminuti animi nos non esse, ut armis arma opponere, & vim vi propulsare dubitemus. Utq; nunc de Me solâ loquar, cum sorori in omnibus assentiri non possim, emori malim, quàm vel in minimò Tibi latum unguem cedere.
Etenim

Etenim cum non scripta, sed nata lex sit, ut fortiter illatam propulsemus injuriam, quis mihi vitio possit vertere, si tot provocata injuriis, me meamque fidem armis defendam, precaveamque, ne veritas, quae à me solâ sincerè colitur, aliquid detrimenti capiat. Appellitas me, non secus ac sororem, haeticam, imò majoribus propè odiis exagitas ac contumeliis, quàm ipsam: Verùm scias nullius me adhuc haeseos fuisse convictam, nec convinci posse. Proinde cum contra jus & æquum vim miniteris, meque contumeliosè haeseos titulò compellites, vim vi me propulsaturam, certò scito. Etenim si Haetici, ut dicis, ferro sunt exscindendi, si nulla illis fides servanda est, sanè & Tu, ceu haeticissima Haetica, ferrò exscidenda eris, nec ulla Tibi fides debebitur. Te verò haeticam esse, probatu est facilimum. Vbi-
cunq; enim sunt dogmata verbo divino contraria, ipsosque fidei articulos evertentia, ibi proculdubiò est haesis. Quid enim Haesis aliud est, quam falsa & erronea Doctrina, contra fundamenta fidei, & caelestem veritatem pertinaciter asserta, & malitiosè defensa? Quis alius Haeticus, quàm qui talem doctrinam non solum amplectitur, sed malitiosè etiam spargit, & per eam homines decipit. At enim apud te, Tarpeja, sunt istiusmodi dogmata, non pauca, sed plurima, immò propè infinita, quod vel millies Tibi ad oculum monstratum est. Quin itaque sis Haetica, quis, quæso, dubitet? Ut tamen paucis solum ea, quae alibi copiosius demonstrantur, hic resumam, Tu ne operum meritis Traditionibusque tuis vitam eternam Te promereri posse contendis: quam fide, non operibus, pijs & in Christum credentes consequuntur, quaeque donum Dei est, unicè, & gratis quidem, credentibus suis, eandem donantis, non merces debita, promerentibus soluta? Tunc defunctos sanctos veneraris, invocas, eosque, ut opitulatores, religiosè colis: certos certis calamitatibus praeficis, eosque, ceu numina, adoras? Quid? Tunc eos non solum deprecatores, sed Propitiatores etiam Intercessoresque impudenter constituis? Horum misericordiâ magis, quàm Christi unici Mediatoris & Redemptoris misericordiâ niteris, qui solus omnes liberavit & salvavit;

quò sanè errore, quòve blasphemiâ, officium Christi fiduciamq; in
DEI misericordiâ unicè ponendam in sanctos transfers demor-
tuos, qui neq; gemitus mortalium audiunt, neq; preces intelligunt.
Annon es hæretica? Annon hæreticissima? Miror, quod non pu-
deat tam pudenda tergiversationis. Verùm non hæc sola erro-
rum scabies tuum inquinat animum, sed longè adhuc tetrior &
pestilentior. Christus se solum ponit fundamentum & lapidem an-
gularem; solus vult dici Sponsus Ecclesiæ, pastor animarum, um-
musq; eorum Princeps: At enim quid Tu ex Papâ facis tuò? Ipsum,
Christò remotò, substituis ruinosum fundamentum, Sponsum adul-
terum, nefandòq; sacrilegiò, summum animarum pastorem, pasto-
rum Principem, Deum & Christum Domini, impudenti ore &
blasphemâ lingvâ dictitas. Imò eò progressa es insaniâ, ut, mortalis
& vilis homuncio cum sit, varijs contaminatus vitijs, ac sceleribus,
ipsum tamen Dominum Dominorum, & Regem Regum proclamare,
& ceu numen aliquod terrenum, venerari non verearis. Nugari Te
non pudet, quòd Papa contra jus & supra jus sit, & extra jus omnia
possit: Quòd habeat idem cum Deo consistorium, idemq; cum Deo
tribunal; apage Satan! Quòd ipsi data sit omnis potestas in cælò &
in terrâ, quòd si Papa sua & fraternæ salutis negligens, innumeras
animas catervatim secum abducat in Inferni barathrum, nemo ipsi
occanere debeat, Papa quid facis; quòd Papa omnia ea possit in ter-
ris, quæ DEUS in cælis; quòdq; Angelis in cælis, & malis Spiri-
tibus apud Inferos, quid faciendum sit, possit præcipere. Sacram
Scripturam Divinitus inspiratam; quam Christus ipse assiduò scru-
tiniò investigari jubet; quam Paulus utilem pronunciat ad docen-
dum, ad arguendum ad corrigendum, ad erudiendum in justi-
ciâ, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus;
quam Petrus firmiorem sermonem Propheticum appellitat, cui qui,
ceu lucernæ lucenti in caliginosò locò, attendant, benefaciant; quam
deniq; Regius Psalter David, nunc legem perfectam, converten-
tem animas; nunc fidele testimonium Domini, præstans sapien-
tiam

tiam

tiam parvulis; nunc præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, nunc lucernam pedum & lumen semitarum suarum vocat; Tu nunc hæresium seminarium, nunc nasum cereum, nunc regulam Lesbiam appellitas; nunc paulò meliorem fabulis Æsopicis blasphemè pronuncias; imò Pontifex seu Pompifex tuus ab ejusdem lectione maximam Christianæ gentis partem longissimè igni, ense, rotâ arcet, majusq; ipsi scelus est, leditasse sacra biblia, quàm innumera accumulavisse adulteria. Sacratissimam Domini cœnam, quam Christus integram sumi, ab omnibus suam fidem professis, voluit; quam purior Ecclesia per multorum seculorum decursus integram piè sumpsit, Pontifex tuus, insigni sacrilegiò, impiè mutilavit, Laicis à perfruitione calicis, ceu semi Christianis, exclusis; quæ Tyrannis tanta est, ut satis exaggerari nequeat. Legitimum matrimonium, quod Deus in statu innocentia instituit, Christus primò suò miraculò multisq; egregijs encomijs honoravit; Paulus honorabile in omnibus esse voluit; Petrus suo exemplò approbavit; idem tuus Alastor in Clericis damnare non veretur, & impuro concubinatui, scortationibus, adulterijs, Sodomiticisq; βδελύγματα postponit. Majestates, quas Dominus omnes mortales venerari jubet, quibus omnem subjicit animam, quos, ceu numina, coli ac metui vult, idem tuus Amasius se longè inferiores proclamat, & quoties lubitum fuerit, deponit, excludit, & ceu abjectissima servitia, subditorum furori videndos, vexandos, occidendos permittit, nonnunquam etiam pedibus conculcat, & per Sicarios nefariè jugulat, eorum regna, pudendâ quâdam liberalitate, suis concedens adulatoribus. Qvalis itaq; es, tali magistro quæ adhares? quomodo tibi places, quæ tot tantisq; abominationibus tota sordes scatesq;? Fidem tandem non esse servandam alijs, qui de hæresi sint suspecti, asseris; quam omnibus servandâ tam sacra scriptura, quàm profana attestantur exempla. Vñ homines ad religionē cogēdos, siq; nolint obsequi ferro excindendos nugari audes? Prò Deum immortalē, quò dementia

& temeritatis processisti! Nemo, nemo, inquam invitus, ac reclamante conscientia, ad sectam aliquam amplectendam cogendus est: Fides enim & vera Religio verbis placidis docenda & persuadenda est: non per vim & minas obtrudenda. Religio quippe coacta non religio, non pietas, sed hypocrisis, sed horrenda blasphemia est. Vides denique Tarpeja, quid, si omnis heresis ferro persequenda sit, de te sit futurum. quæ non Heretica: sed omnis hereseos & improbitatis mater es. Tuò sanè hic gladiò jugularis, & quod in alios statuis, in teipsam statutum habes. Ego profectò, si arma, quam pacem mavis, armis tecum congregiar: si quid gravius inde evenit; nec enim mihi deerunt subsidia; id Tibi imputes velim.

GERMANIA.

NE, per Deum vos rogo & obtestor, ne, Filia, in propria se vite viscera! Ne mutuis vos lacerate armis! Per hoc senium meum, per debitam mihi obedientiam & filialem amorem vos oro, ut amicè lites vestras componatis, nec intestinò dissidiò virtutem meam pristinam labefactetis & imminuatis; neve hanc senectutem meam, quæ per se, onus ipsa Aetnâ gravius est, affligatis vehementius. Cogitate, quaeso, quid sit bellum civile & quanta secum trahat incommoda: Pacatis studete consiliis: maxime placuit Saxonica consilium, quod pacem & amicabilem compositionem suadet. Ea via omnium est tutissima. Ab bello itaque civili, in quò nulla salus est, abstinete.

Eris aliunde accedens malum in medium projiciat: hinc fugâ se subterducat. Tres nymphæ, quasi attonitæ factæ, porrò sic loquantur.

TARPEJA.

PArum abest, Mater, quin rumpar præ iracundiâ, quæ in manibus in crines sororis meæ natu minimæ involem. *Quanta enim*

enim in ipso protervia, quanta ferocitas? imò quanta iniquitas est?
Non solum malum contrà minitatur, sed me etiam harescos insimulare non veretur. Hoccine inultum ut auferat? Non faciet, si vixero. Experietur me non Sororem, sed oppugnatricem ferocissimam.

PALATINA.

Rumpere, aut, si mavis, frangere; tuo odiò ac furore me non protelabis. Qualem te mihi promittis, talem me tibi habebis: & nostra tela nocent, malumq; quòd mihi minitaris, Tibi duplicabitur.

SAXONICA.

NE, quaeso, Sorores adeò excandescite; ne, quæ sub unò hoc mecum carissima Matris nostræ latuistis pectore, nunc discordiã divellimini, neq; impium mucronem in propria convertite viscera: Consilium venerandæ matris sequimini, & permittite, ut exorta litigia tranquillâ pacificatione consopiantur. Ego, quantum in me erit, nulla non pacis consilia admittam, modò per vos conscientie mihi meæ rationem habere licuerit. Vos, ut spero, item facietis. Omnia enim sapientem prius experiri, quàm arma decet. Nec ego diffido, quin, nisi Tu Tarpeja tuâ sponte malum quæsieris, de facili rationes constituendæ pacis inveniri possint. Tu quoq; Palatina, ne, quaeso, in cuspide jus tuum ponas. Novisti enim armis vix unquam feliciter propugnatam fuisse veritatem Evangelicam. Deus pufillo suo gregi patrocinabitur.

PALATINA.

EGregium verò consilium, & aureis literis in æde Capitolinâ scribendum? Egone ut non arripiam arma? Egone arma illi, arma quæ minitatur, ut non opponam? Hoc Tu mihi quidem persvade-

persvadebis nunquam. Quin potius in meam Tu concedito sententiam, & commune periculum armis communibus mecum propulsato. Vides enim utriusq; nostrum jugulum ab Hâc veneficâ peti. Haud speres, me sublatâ, salvam te esse posse, ullamve â perfidâ Hâc fidem Tibi servatum iri.

GERMANIA.

Actum itaq; de me est, ut video, planissimè; imò funditus perit, si itâ pertinaciter in sententiâ persistitis vestrâ: Agite tamen, sequimini me intrò, cœnabunt apud me Tuiskon & Mannus, qui non itâ pridem è campis Elypsijs huc reduces facti sunt. Tentabimus, num illis arbitrâ, hæc lis componi possit.

Iplis abeuntibus Eris prodeat
atq; sic loquatur.

Ha, ha, he! Ha, ha ha, he! Ut optatò evenit, quod volui! quàm optabiliter mihi jucundum est, tantis Germaniam lacerari dissidijs! sparsa â me litium semina in uberem excrescent segetem, nec illud incendium, quod hoc Malum (tollat Malum) excitavit, ulla consilij vis restringere poterit. Veniat senex ille Tuiskon, veniat Mannus, veniat Hermannus, & si quæ alia sunt ridicula numina, contra Erida parùm se proficere intelligent. Ego in Germaniâ, quod maximè gaudeo, turbavi omnia. Ipsa intestinis ægra dissidijs,

Arma amens fremit, arma forò tectisq; requirit;
Sævit amor ferri & scelerata infania belli.

Nulla pax coalescere poterit, nisi prius sanguine tellus inundata, cadibusq; ac incendijs omnia polluta fuerint. Longè quippe facilius in incordiam rediguntur, qui nullâ, quàm qui arctissimâ conjunctione se invicem attingunt. Longè itaq; infestius Germaniâ à Germanis, quàm ab hoste extero lacerabitur. Quod quidem & hætenus factum est sæpius. Parùm enim Germaniæ concordie vis externa obfuit, interna discordia nocuit semper plurimùm. Verùm quid ego hîc diutius commoror? Quin, unde veni, abeo? succedent

non

non minùs, quàm ego, noxia numina. Vah! vah! adsunt! ut acce-
lerant gressum! ut ego gaudeo! Ha ha ha! Ha ha he! Hæc, hæc
furorem, quem ego concitavi, planè convertent in rabiem.

ACTUS SECUNDI
DELIBERATIO TERTIA,
In quâ,

MARS, BELLONA, & tres FURIÆ ab
EPICHÆRECACO introducuntur,
EPICHÆRECACUS.

AUdin' tu Mavors, atq; adeò tu Bellona? quare ab Inferis
vos exciverim, novistis: Germania ferrò, igni, fame, peste
perdenda est pessimè. Quare, abjectâ omni cunctatione,
hoc vestro cum comitatu ingressi, id quod injunctum est,
omni exequimini conatu ac furore. Cadite, sternite, perimite, quic-
quid fors obvium fecerit: urbes & agros exurite, sylvas & hortos
excidite, armenta & pecora abigite: Incendijs, cadibus, sceleri-
bus miscete omnia, nec desinite prius, quàm in fumos & favillas
Germania abierit universa. Hoc agite.

MARS.

NOli per se satis aestuantem magis inflammare Martem, Epi-
chærecace; noli de immanitate mea dubitare. Belli ego Deus
sum, bella mihi maxima sunt cura. Bellis ego universum terrarum
orbem, post hominum memoriam, variè turbavi, gravissimeq; sem-
per affluxi. Meâ, sororisq; Hujus meæ, operâ omnia mundi regna,
omnesq; terræ anguli nefandis cadibus, incendijs, atrâq; humani
cruoris sanie, miris modis, squaluerunt. Ego, Ego, Epichærecace,
magnum illum primi mundi subactorem Nimrodum, ad arma su-
menda concitavi: Ego Belum Ninumq; contra vicinas gentes arma-
vi; Ego

K

vi; Ego

vi, Ego Semiramidem tantò belli ardore implevi, ut in exercitu decies centena millia peditum, & quinquaginta millia Equitum duceret, currusq; penè innumeros armaret. Per me Chaldaei & Babylonij; per me Persæ & Medi; per me Ægyptij & Æthiopes; per me omnes mundi plagæ insatiabili belli furore exarserunt. Ad Trojam, quot quæso, hominum millia prostravi? Quot Reges Ducesq; pere-mi? Quot urbes quot arces combussi? Quot naves everti? Quot scuta clypeosq; confregi? Intra decennium, sex menses diesq; duodecim, ex Græcis obsidentibus octingenta, sex & octuaginta hominum millia; ex obsessis Trojanis sexcenta & septuaginta sex millia jugulaui. Me impulsore, fortissimi quicq; heroës & semidei Duces cæsi sunt. Per me magnanimus ille gentis Trojanae propugnator Hector manu suâ innumeros penè trucidavit heroas: Protesilaum, Patroclum, Merionem, Boëtem, Archilochum, Protenorem, Deipenorem, Dorium, Polyxenum, Phidippum, Xantippum, Leonteum, Polibœtum, Carpedontem, Lepodemon, Lusorem, Epistrophum, Schedium, Maimentum, Palamonem; Per me Æneas Latine Romanæq; gentis fundator, præter alios sustulit Amphimachum & Nireum; Per me Alexander Hectoris frater, quem Paridem vocant, Palamedem, Antilochum & Ajacem interemit; Ipse Alexander & Ajax Telamonius mutuis corruerunt vulneribus; Per me truculentus ille Achilles jugulauit Euphemum, Hippotum, Plebeum, Asterium, Liconium, Euphorbium, Memnonem, ipsumq; Hectorem; Neoptolemi ferocia confecit Penthesileam, magnum illud Amazonum decus, ipsum Priamum Regem, ad ejusq; tumultum Polyxenam ipsius filiam: Per me invicta Diomedis virtus Xantippum, Mnesteum, Epistrophum, Orcomeneum prostravit. Omnes hi Principes, me impulsore, Principum manu occubuerunt. Quot præterea hominû myriades in bellis Græcanicis; quot in Romanis, Punicis, Gallicisq; quot in Symbriticis ac Germanicis; quot in Scythicis ac Tartaricis; quot in Gothicis ac Vandalicis; quot in alijs quæ à sevirissimis quibusq; gentibus gesta fuerunt, ceciderunt? Solus ille Persarû Rex Xerxes instar multo-

multorum esse potest, qui cum vicies tercentena, & praeterea decem
& septem peditum; octuaginta vero Equitum millia in Graciam
trajecisset, ex tam portentoso militum numero, ipse vix solus, cum
paucis ministris corporisq; custodibus, in parva navicula evasit. Tot
praeterea, ut pauca saltem è ceteris quoq; tangam, intestina Gracia
bella hominum millia absumserunt, ut vix numero hic locus esse
possit, ob ingentes hominum animaliumq; strages, quae non solum
universam Graciam, sed ceteram quoq; Europam & Asiam perva-
gatae sunt. Nihil hic dico, quot Gallorum millia in Asia; quot in
Italia, quot in Germania ceciderint; quotq; ipsi etiam Galli iisdem
in locis trucidaverint: Non addo, quot myriadas tria bella Punica;
Romanorum bella civilia; bella item Cymbrica & Germanica; bella
Gothica & Vandalica; Scythica & Tartarica; Syriaca & Aegyptia-
ca, olim sustulerint: Vix hic, curiosissimi quique actorum nostrorum
scriptores, Historici numero dicendo sufficiunt; Egoq; adeo ipse, si
omnia saltem paucis attingere velim, non diem imò non annum mihi
satis fore ad narrandum arbitror. Ad rem ut redeam non est, Epi-
cherecace, quod multis verbis me instigare velis: Deliciae meae sunt
hominum caedes, bellaq; voluptatem mihi pariunt maximam: Et,
quoniam nullare tam delector, quam fusò humano sanguine, accu-
mulatisq; cadibus & incendijs, id semper operam do sedulo, ne pax
inter mortales & concordia coalescere possint; ne mutua fideq; ami-
citiae jungantur foedera, neve semel exorta turba ac lites amicis pa-
cificisq; compositionibus consopiantur. Has enim per inquieta inge-
nia, quantum possum arte & industria, excito atq; alo; harum primis
flammulis, sicubi illae gliscere incipiunt, varia fomenta subministro, &
ne forte in ipsis primis scintillulis opprimantur diligenter praecaveo.
Justae causae si deesse videntur, Ego ipse falsissimas quasq; effingo, effi-
ctasq; exaggero, & novis praetextibus, coloribusq; exornatas, quantum
possum arte & fraude, verisimiles reddo. Nunc non rem le viculam,
sed existimationem ipsam agi, vanae gloriae cupidis persuadeo: Nunc
varias injurias & contumelias fingo, easq; dico quaedam verborum

atrocitate exaggero: Mox varia suspicionum semina spargo, eaq; si progerminare jam incipiunt, omni industria, ad cruenta messis maturitatem perduco. Novi Ego hominum ingenia: calleo temperamentorum diversitates: Quò unumquemq; mihi aptiorem perficio, eò studiosius illum mihi adjungo. Furori furorem addere soleo, quò tandem meo aestro inflammati, planè vertantur in rabiem. Inserviunt quoq; instituto meo seivissima hæc humanae salutis pestes, impietas, Injustitia, Avaritia & Superbia, quas, ceu Furias quasdam, quoquò modò, hominum societati immitto, si quæ semel admittæ fuerint, ne rursus excludantur, præcaveo. Hoc meum est ingenium, hæc indoles, hic furor, hæc nocendi libido: quibus quidem omnibus id facilimè do effectum, ut res hominum sese pessimè habeant, cædesq; inter ipsis grassentur cruentissima. Proinde non est, quòd pluribus me exstimules: Ipse, quid mei muneris sit probè scio, nec ullam in partem ero cessator. Arma armis opponam, cædesq; cædibus cumulabo. Viden' hoc ferreum pectus, manus has ferreas, hæc arma, hanc machinam fulminalem; omnia hæc in exitium hominum convertam funestissimum. Quin & ingentem clientum meorum mihi adjungam numerum, quos passim per Germaniam, imò per Europam universam disseminatos habeo. Eos omnes ad arma vocabo, qui si incaluerint, ipsos Gygantes immanitate exuperabunt, nec eorum furor resistere vi aut compeisci poterit prius, quàm universam Germaniam in cineres favillasq; resolverit. Nil nisi vasticies, quod sanctè juro, per omnem apparebit Germaniam. Passim audientur quiritatus & ejulatus; pugnantium fremitus ac strepitus, bellicarumq; machinarum tonitrua ac fragores stellas è cælo decucient. Expavescet tellus ad insultantium minas & morientium gemitus. Nihil planè furor meus intactum incolumeq; relinquet, quod denuò tibi sanctè promitto.

BELLONA.

NEc ego, quamvis seqvioris sim sexus, segnius mitiusve mandatum manus exequar. Soror ego sum Martis, & sexu quidem; verùm

verum non animo à fratre discrepo. Non enim minori voluptate,
quam ipse, cedes specto; nec mollioribus animos hominum iris incen-
dere soleo. Præstabimus itaq; mutuas operas & frater ubi abfuerit ibi
ego adero, & absentis ejus defectum supplebo. Nostrâ operâ aliâ nul-
lâ sanguine tellus inundabitur universa: nostrô ministeriô cedes ca-
dibus cumulabuntur, & miserrima omnium rerum facies per omnem
Germaniam, apparebit. *Vab!* quàm gestit hic mucro in homi-
num defigi visceribus! quàm sitiunt hæ faucēs sanguinem! quàm
properant hi pedes, hæ manus ad patrandas cedes! quàm deside-
rant hi oculi mei cædium incendiorumq; spectacula! Tota, quanta
quanta sum, nihil, nisi furor, sum, & insatiabilis quidam nocendi
ardor. Quapropter ne dubites, queso, Epichærecace, quoniam officium
utrobiq; nostrum diligenter facturū simus.

EPICHÆRECACUS ad FURIAS.

Age & tu Eumenidum Triga, terra & atro Saturni sanguine
sata;

Quæ Jovis ad solium sæviq; in limine regis
Appares acuisq; metum mortalibus ægris,
Si quando lethum horrificum morbosve Deum Rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes;

Age, inquam, & vim furoris tui expedi omnem: hanc nobis
da operam, facitoq; ne noster honos, infractaq; loco cedat fama, neve
Germani pacati novâ coalescant concordia, & molitiones nostras,
revocato ad prudentiam animo elidant. Age,

Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atq; odijs versare domos; Tu verbera tectis
Funereasq; inferre faces. Tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus,
Disjice compositam pacem, sere crimina belli:
Arma velit, poscatq; simul, rapiatq; juvenus;

Hæc age funesta Triga, atq; conceptam de Te inferorum spem, ne,
quæso, fallas.

TISIPHONE.

SI Furiarum rabies verbis acienda esset, non sine causa, Epichæ-
recace, ad nocendum nos exhortareris. Verùm cum sponte no-
strâ satis improba & atroces simus, nihilq; sit nobis,
- - - - - nisi tristia bella,

Iræq; Insidiæq; & crimina noxia cordi;

Non est quod tantoperè nos exstimules. Ex animi tui sententiâ
res curabitur, nihilq; quod nocere possit, prætermittetur. Utq; pro
me sola jam loquar, cædes ego cædiumq; ultiones, pro virili concita-
bo, suspicionumq; semina nullibi non spargam, & hominum con-
scientias insanabilibus lancinabo vulneribus. Id enim mei muneris
esse scio, ut vindicem scelerum agam acerrimam, sceleraq; ulsciscar
sceleribus. Proderit igitur, ut conijcio, meum institutum Tibi plu-
rimùm, sentiesq;, nequaquam frustra me ab inferis evocatam fuisse.
Dabitur enim opera à me sedula, ut impurissimus hic mundus, qui
quasi sceleratorum hominum sentina quædam est, nefandâ impro-
bitatis saburrâ liberetur. Nec mihi difficile erit, cædibus ac incen-
dijs complere omnia, cum suâ sponte homines in vulnera ruant, vi-
tijsq; atq; sceleribus inter se quasi certare gestiant. Omni namq;
animi & corporis impetu contendentes bellum apparant, odioq; in-
inter se irreconciliabili dissidentes, bella ex bellis erunt. Martem
unusquisq; summò cum furore acuit, idq; unicè spectat, ne suæ nocen-
di libidini, seviendi desit materia. Mei ergo nominis memor, dabo
operam, ut hæc res lepidè sub manus Tibi succedat. Quare nihil est,
Epichærecace, de meâ operâ dubitare quod velis: exuperabo animi
Tui libidinem.

MEGÆRA.

DE me, ne fortè dubites, Epichærecace, hoc tibi persuasum ha-
beas velim; invidiâ & perfidiâ me completuram omnia; idq;
daturam

daturam operam, ut omnes inter homines benevolentia planè exspiret, ut alter alteri invideat, & quacunq; re possit, noceat. Soleo namq; animos hominum dissensionibus divellere, uberemq; suspitionum materiam inter eos disseminare, quæ quantam turbanda tranquillitatis & amicitia vim habeant quis non intelligit? Virus prætereà invidiae hominum animis sensim instillabo, quæ quantoperè noceat, quanta mala vitæ communi adferat, magna exemplorum copia satis demonstrat. Unde enim tot sunt bella, tot seditiones & persecutiones publicæ; tot hominum cædes, tot urbium everisiones, tot provinciarum devastationes, tot gentium excidia? Non aliundè sanè nisi ex invidiâ, quâ perversi hominum animi exasperati & exacerbati, nullum non scelus aggredi audent. Circumspice corruptos hujus seculi mores: ubi prisca fides? Ubi antiqua Charitas? ubi vera pietas? Ubi concordia? Ubi? Ab invidiâ expuncta & expulsa sunt. Frater fratrem interimit, liberi parentibus, generi soceris sese opponunt. O nostra felicitas! O hominum miseria!

O dirum exitium mortalibus! O nihil unquam
Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes
Invidia!

Invidiam itaq; inter homines si concita vero, quam pestem majorem is immittere potero? Ex hac enim, ceu impurissima scaturigine, cum nullum non scelus promanet; DEUS verò scelera impunita dimittere nequeat, quis non videt, totius Germaniæ exitium paulò post subsequiturum? Vides, Epichærecace, quantopere profutura Tibi sim, quantaq; regnum tuum incrementa meâ capturum sit operâ. Quare spem de me concipe bonam. Expectationem Tuam exuperabo.

ALECTO.

Nec ego, Epichærecace, ad concinnandas lites ac discordias ero segnior. Novisti ingenium meum, novisti furorem: Si dubitas, hunc habitum inspice & examina. Ne tamen, quid factura sim, igno-

sim, ignores, hac paucula attentis accipe auribus. Tollam concordiam, gentesq; armabo in praelia: Odijs versabo domus, magnasq; excindam familias: Urbium passim, agrorumq; incendia excitabo; varia dissidiorum spargam semina, objectisq; voluptatum illecebris, homines excacatos in exitium precipitabo aeternum. Habes, Epichærecace, quid de meâ Tibi operâ promittere pressis ac debeas. Quare non est, quod pluribus me exstimules: Ipsa facilè Furia nomen, quocunq; ablegata fuero tuebor.

EPICHÆRECACUS.

A Bite itaq; omnes cum Marte, quo iussa estis, malis avibus, atq; mandato munere, ut promisistis, strenuè defungimini. Ego rectâ ad inferos, unde veni, abeo. Abite.

ACTVS SECUNDI

DELIBERATIO QUARTA,

In quâ

ASEBIA, LUXURIES, VENUS, CUPIDO,
COMUS, BACHUS, ab ALASTORE INTRO
ducuntur.

ALASTOR.

Hic state venusta numina & quid vos velim cognoscite.
Tu ab initiô Asebia, cui facilè primas tribuo, id dato operam ut sub varijs, ferentibus præ se splendorem aliquem, prætextibus, omnem ex animis hominum veri Dei, sinceræ Religionis, rerumq; sacrarum omnium, amorem ac curam funditùs radicitùsq; exstirpes: Epicureismum contrâ & Atheismum altissimè eorundem instilles medulis, adjectô insuper aliquô superstitionis philtro,

philtrô, quô incautioribus ac imperitioribus fucus fiat, ipsisq; persuasum sit, nihilominus à vero Deo se non planè alienos esse. Intellexit' Asebia?

A S E B I A.

NE, quaso, Alastor, memorem moneas; ne vè per se satis ar-
denti ignem addas: Calleo ego omnes modos, omniaq; com-
pendia teneo, quibus circumveniendi & dementandi sunt homi-
nes. Naturâ scilicet illi à verò D E I cultu aversi, ad superstitiones
& omne impietatis genus propendent. Unde, si vel levi eos impule-
ris digitò, prostrati jacent, omniq; impietati sese mancipant. Hoc
præstructò fundamentò, cum vanitati eos maximè addictos esse
sciam, vanissima quæq; vanitatis irritamenta illis obijcio: hæc miri-
ficè laudo, commendo, torno, exono, illisq; svadeo, vim omnem exi-
stimationis in ijs positam esse; hæc qui sectentur reputari viros ma-
gnos, esse admirationi omnibus, dignosq;, qui proximum à love lo-
cum occupent. Contrà, quæ honesta, quæq; ad pietatis & vir-
tutis cultum spectant, quantò possum nisu ac risu explodo, inq;
omnium contemptum adduco: Dico nugas esse Scholasticas, odiosas
Ecclestarum nenas, stolidaq; ac prava stupiditatis insignia, quibus,
quæ se dedant, eos esse ludibrio omnibus, haberi pro effæminatis,
appellari ab omnibus bardos, blennos, buccones, posticâ sanna deri-
deri, è communi hominum cœtu proscribi, & pessimis tractari mo-
dis. Si qui contrà magnò animò hæc omnia aspernantur, eos ego so-
los magnorum virorum nomen tueri, splendidè mentior. His & simi-
libus verborum illecebris do effectum, ut omnis honestatis ac pieta-
tis ratio non solum omnium pipulis differatur, sed etiam, tanquam
infelix & odiosa ignominia ac infamia genitrix, è vita hominum
planè proscribatur. Hæc mea est Praxis longè felicissima, hoc phil-
trô maximam hominum partem demento. Quare nedubites, Alastor,
quæ in magna cum animi voluptate, id quod poscis, sim effectura.

L

A L A

ALASTOR.

A Ge, Luxuries, percepisti, quàm strenuam mihi Asebia pollicita fuerit operam: Ergo & Tu, ne quid in conatu Tuo desiderari possit, facies. Expone fides, quò pacto rem aggressura sis.

LUXURIES.

P Er ventrem, Alastor, meum, per omnia Macella, Cellasq; viarias, per omnes Ciniflones ac Calamistros, & si quid aliud religiosum habeo; juro sancteq; Tibi promitto, Me, modò suum Asebia fecerit officium, annisuram maximoperè, remq; eò adducturam, ut nihil in Germaniâ tam sit vile, quàm mali mores, utq; illi, inter mortuis bonis, quasi herba irrigua succrescant maximè. Omne parsimonie ac frugalitatis studium ex animis hominum funditus evellam: Affectatos contra & stolidos circa victum & amictum delectus, ridiculasq; novitates ipsis ut persuadeam, summoperè conitar. In Germaniâ frugalis ac consveta victus ratio planè fastidietur; infimi quiq; infelici quodam fastu, magnates emulabuntur: non civilibus amplius sed plusquam regijs ac Persicis pompis conviviva celebrabuntur: Ferculis ac poculis ad insaniam usq; certabitur; in luxu ac prodigalitate maximus honos spectabitur; & ubi profusio erit major, ibi gloria reposita credetur maxima. Usitatam hâtenus vestiendi rationem in extremam adducam contemtionem: omnia Gallica, Hispanica, Anglica, Italica hîc erunt; nihil Germanicum, nihil consvetum & vulgare. Singulis mensibus novæ vestium figuræ ac formæ ab otiosis hominibus excogitabuntur, nec in vestitu necessitas amplius, atq; ornatus, sed monstruosa quædam novitas affectabitur: Vile cet pannus, vilescet linteum; sericum, holosericum, aurum, argentum, cariusq; emta colorum picturæ, & si quæ hujus generis sunt aliæ boni moris corruptulæ, certatim adhibebuntur. Nunquid placet quod dico, Alastor? Nunquid hæc mea opera Tibi profutura videtur? Sanè aut Me Magistrâ, aut aliâ nullâ universa corrumpetur Germania.

ALASTOR

ALASTOR.

PLaces, ita me magnus rectè amet Lucifer, Luxuries, & Pol-
 magnas Tibi pro oblatâ operâ habeo gratias. Verùm age & Tu le-
 pidissimum humani generis delictum, Venus; nec non Tu, venu-
 stissime pufio, Cupido; Agite, inquam, uterq;, & hominum animos
 vagis, impurisq; libidinum flammis stimulate, ut ab omni hone-
 sti sensu aversi totos sese mancipient libidinibus. Quantum vos,
 si advigiletis, præstare possitis, me non fallit. Quare rem strenuè
 agite.

V E N U S.

DE Nobis, Alastor ter maxime, sancte mundi DEUS de Me, in-
 quam, & filiolo meo spem concipe optimam. Quando enim,
 quæso, Venus, quando Cupido tuum remorati sunt commodum?
 Quando in se requiri ac desiderari passi sunt quicquam? Probè ego
 scio, mei quidnam muneris, quid partium mearum sit; nec segniùs un-
 quam obeundum aut exequendum illud putavi. Certè è re mea est,
 omnem dare operam, ut corda hominum flammis amoris impuri ac
 turpis incendantur, ut tam Senes, quàm Iuvenes, tam Vetula
 quàm puellæ stupris & adulterijs polluantur, & in fœdissimis qui-
 busq; libidinibus, modò prorsus impiò & abominabili, sese volutent.
 Hoc officio meo quàm strenuè perfuncta semper fuerim, exempla
 omnium temporum satis superq; testantur & comprobant. Nonné
 primos mundi homines ante deluvium facibus meis domui & sub-
 egi? Nonné Sodomitas? Nonné Davidem Regem ac Prophetam
 illum divinum? Nonné Herodém cum Herodiade? Nonné Ma-
 riam Magdalenam? Nonné Paridem & Helenam? Nonné Cly-
 temnestram cum Ægisto? Nonné summos etiam Deos, Apollinem,
 Martem, & ipsum Iovem, DEORUM regem? Quare, Alastor,
 Princeps mundi potentissime, dubitare noli, quin Ego, sicuti hæc-
 nus officio meo nunquam defui, Ita deinceps etiam sedulò illud factu-

ra, Tibiq, Domino gratiosissimo, operam meam, sine ullâ temporis & loci exceptione, fideliter accommodatura sim.

CUPIDO.

QVia puer ego sum, Alastor, ideo fortè opera meæ tibi pueriles videntur, & prolixâ exhortatione excitanda. Verùm erras maximè. Multum hi possunt lacertuli, quantulicunq, etiam sint, nec deest animo peragendi alacritas. Cogita, quæso, quot, quantosq, hic arcus Reges ac Heroas dejecerit: quàm nulla planè universe nature vis eundem effugere aut elidere potuerit. Majora profectò in Germaniâ, ridiculus hic pusio, quàm sevissima quæq, alia numina, dabit damna. Tu spem de me concipe optimam: nullo tormentorum genere ita ferientur ac sauciabuntur mortales, sicut arcu hoc vilissimò.

ALASTOR.

Macte ingentibus hisce animis puer; macte insperatâ hâc tuâ virtute! fungere cum matre alacriter demandato munere, & à Me, Inferisq, omnibus magnam inibis gratiam.

Idem ALASTOR

Ad COMUM.

Macte virtute tua Come; macte insigni tuâ industriâ! Inferorum regno sæpius profuisti plurimum, Tuâq, industriâ effecisti, ut illud incrementa ceperit non vulgaria. Quare, ne hoc tempore, quò expugnanda est Germania, segniter rem geras, etiam atq, etiam vide. Virum Te præsta ac Deum ostende: Erit tibi honos apud Inferos semper amplissimus.

COMUS.

COMUS.

NOli tam prolixè me exstimulare Alastor; noli meam suspicari
 segnitiam. Qui sim, memini, nec minùs fideliter curati officij
 me, quoad fuero, quisquam accusare poterit. Antiquitus Comessa-
 tionum Deus habeor, Inferiq; Iovis mandatu nocturnis saltationum
 ac grassationum sacris præsideo. Solebant olim, in meam qui au-
 thorabantur mi'itiam, juvenes coronati noctu cum facibus, Musi-
 cisq; instrumentis, per plateas vagari, & ad Amicarum fores, sal-
 tandi canendiq; gratiã, confluere, procaciusq; paulò & liberiùs ibi
 joculari, ac lasciviã diffluere; nonnunquam etiam ibi fores effringe-
 re, indeq; quasi è lustris, quas venatum ad venerant, (si non sua spon-
 te prosilirent) lepidas excutere bestiolas. Verùm non amplius pla-
 cet simplex illa & nimis agrestis Numinis mei veneratio: Abominor
 obsoletas istas rusticitates. Ut rerum omnium rude aliquod est ini-
 tium; hinc incrementum, tandem perfectio: ita & Ego tenues cul-
 tus mei primitias, ab istiusmodi initijs, ad eximia incrementa, &
 nisi meus me fallit genius, ad summa complementa nunc perduxi.
 Quod enim olim sine arte & magistrorum legibus, solius nature du-
 ctu fiebat, id hodie, meã, clientumq; meorum operã, in certa disciplina
 formam coaluit, fiuntq; omnia ex operoso artis præscripto. Ad certas
 magistrorum Leges nunc coquitur, editur, bibitur, luditur, amatur,
 saltatur. Habet suas leges Comessatio, habet saltatio: Furtivo amo-
 ri sunt sua compendia, sunt loci communes, sunt completa
 opera, pro diverso discentium captu. Ut Philosophis sua sunt
 axiomata, Postulata, Theses, Hypotheses, divisiones, De-
 finitiones; ita & illis, Artem amandi qui tractant, omnia sunt si-
 milia; nisi quòd forte in Objecto, Modo procedendi & Fine discrepent.
 Ingentes scribuntur juris ac gulæ codices: Potandi ac lurcandi
 leges tam sacrae habentur ac inviolabiles, ut Romanorum Tribu-
 nos plebis impuniùs ledas, quàm illas; errorq; contra earum san-
 ctiones admissus, quòvis parricidiò ac latrociniò, habeatur damna-

bilior. Non placent amplius consueti cuiq; nationi saltationum mo-
di: Exotici & à peregrinis magistris aliunde allati, operosa sedulitate
discuntur, quòq; illi leviores sunt. & ad irritandam libidinem aptio-
res, eò magis probantur, pluresq; inveniunt Discipulos. Paucis rem
ut eloquar, summus hodie honos est, tenere non juris sed Gulae re-
gulas; Leges novisse non Codicis sed Veneris: Has qui callet,
quovis Solone, Lycurgo, Platone censetur πολιτικώτερος; nec at-
tenditur, quàm scitè quis Remp. gerat, jus dicat, literas intelligat;
sed quàm peritè plena evacuet pocula, jocetur cum amasiâ, pedes
ponat ad modos Tibia. Hæc hæc ut discantur, videas multos omnia
Galliæ, Angliæ, Italiæ perreptare gæna, omnia invisere Gyna-
cea, amplissima profundere patrimonia. Hucusq; rem proveri,
Alastor; ea complementa Disciplinæ meæ superimposui. Ex quò
Tu facilè, ut spero, perspicias, quàm nihil planè in me desiderari
possit.

ALASTOR.

Nihil desidero, in Te, Come, ita me tua rectè amet festivi-
tas! Perges, ut cæpisti, opusq; urge fideliter. Magnus,
qui ad stygem sedet, Jupiter, largiter labores tuos, suo in regnò Tibi
compensabit.

Hinc se ad B A C C H U M convertat.

Sine Cerere & Liberò friget Venus. Quare venerande pater Bac-
sche, tui quod est officij, studiosè exequere. In Tuo & Vene-
ris numine omnem ferme spem, expugnandæ Germaniæ Di, in
feri superiq; positam habent. Quare, quâ soles animi prompti-
tudine, operi accingere, & solidam à nobis omnibus inibis gra-
tiam.

B A C-

BACCHUS.

Vini Ego Deus sum, Alastor; vinô & alijs melioribus potûs generibus pugnare soleo: His vinco, his, quot quot certamini sese commiserint, exupero. Rectè colere si qui me voluerint, illi vinô, & similibus liquoribus me colunto. Hoc cultu nullus mihi gratior acceptiorq; erit, eroq; Ego in hoc totus, ut posthac, per omnem Germaniam, diurnô nocturnôq; tempore, is frequentetur maximè. Quare non est, quòd de me dubites, Alastor, paulo post opima spolia de Germanis, Jovi Feretrio, à me offerri & consecrari videbis.

ALASTOR.

Placetis omnes & singuli, dum ita benignè operam vestram promittitis: ocyus, quò mitto, abite; &, ne quid in diligentia atq; industria vestra desiderari possit, etiam atq; etiam videte.

Annuentes abeant: ALASTOR cogitabundus
per theatrum obambulet.

ACTVS SECUNDI

DELIBERATIO QUINTA,

In quâ

Duo Æruscatores, cum ALASTORE,
deliberantes introducun-
tur.

QVorsum hoc referendum, & quò pacto interpretandum, putas, fraterrime *Wippere*, quòd Alastor, productis omnibus ab
Inferis

*Inferis nocivis Numinibus, nos solos praterierit? Nunquid mon-
stri hoc tibi alere videtur?*

VVIPPERUS.

Mlor & Ego, Obolostates, nec hoc frustra fieri arbitror: Si quid
tamen suboderari possum, ideò nos displicere conjicio, quòd mi-
nùs cautè, nimisq; impudenter hanc artem predatoriam, quam
vulgus, das Rippen und Wippen contumeliosè appellat, exercue-
rimus; hancq; impudentià nostrà effecerimus, ut Praxis hæc paulò
avidior & neqvior, quæ magnà curà tegenda fuisset, omnibus su-
specta reddita; à quibusdam etiam publicis, & severissimis quidem
edictis, proscripta fuerit. Sunt profectò, qui illam non tam malitio-
sam fraudem, quàm enorme furtum, ac manifestum sacrilegium
appellare ausint, Nostræq; disciplinae homines, ceu falsarios & aru-
scatores nefarios, quovis suppliciò, suspendiò, igni, rotà dignos de-
putent.

OBOLOSTATES.

Rem ipsam dicere videris, VVippere: Rectius à nobis factum fuis-
set, atq; prudentius, si id, quod in vità communi apprimè utile
prædicatur, attendissemus: Ne quid nimis.

VVIPPERUS.

ID quidem rectius fortè, Obolostates: Verùm novisti quàm
lutriusq; nostrum ingenium proclive sit, ab omni mediocritate, ad
immoderatam habendi libidinem; novisti, quàm rapaces & sacri-
legæ hæ sint manus, quàm nullo planè legum rigore coërceri queant:
Aqua humiditatem faciliùs deponet, quàm nos rapacitatem. Ita
monetæ substantiam corrupimus, ita valorem adauximus, ut vel
unica halex, duobus vix florenis, quibusdam in locis, coëmi potuerit:
quæ quidem corruptela nimis est.

OBOLO-

OBOLOSTATES.

Quod verò remedium superesse putas?

WIPPERUS.

Nullum profectò aliud, nisi ut culpam agnitam Alastori ingenuè (si quid in nobis potest esse ingenuum) confiteamur, sancteq, promittamus, cautiùs nos imposteros hanc rem tractaturos.

OBOLOSTATES.

Rectè consulis: verùm ubi Alastorem inveniamus?

WIPPERUS.

'st, 'st, prospice: rectè huc tenet iter: vultus mentiemur tristes & pœnitentes, quò faciliùs hujus delicti veniam impetremus.

OBOLOSTATES.

Rectè mones.

ALASTOR.

Hui! Unde vos insulsissimi nebulones? quid vobis hic negotij est? Bardi, blenni, stolidi, stipites, fungi. Obliti jam estis, quàm turpiter vos in nuperà ablegatione per Germaniam universam dederitis? Subtiliter ejusdem nervos incidere jussi fueratis; verùm ò subtiles! ò scitulos! ita ruditer, ita insulsè, quod tegi arte debuisset, tractavistis, ut furta & sacrilegia vestra omnibus innotuerint. Faceßite itaq, hinc nebulones pessimi, bipedum nequissimi. Quid contrà statis? Cedite, abscedite; etiam nunc, etiam nunc, etiam nunc. Vos enim, si propius ad Germaniam accesseritis, illic fraudes nostræ erunt proditæ omnibus.

WIPPERUS.

Per Plutonem precamur & magnùm Mammonam, causam ut dicamus sine: Audi nos obsecrò.

M

ALA-

ALASTOR.

Quid audiam? quid causa attuleritis, Asini ineptissimi?

O BOLASTATES.

*Audi, quaeso, nos; non odiosè delictum excusabimus, sed
submissè deprecabimur.*

ALASTOR.

Hoc si feceritis, in gratiam recipi poteritis.

WIPPERUS.

*Placet conditio, Alastor, iure hoc fit: Uterq; agnoscimus
& seridè, ac publicè quidem confitemur, quod nimis & insulis no-
stris falsationibus, eruscationibus, palpabilibusq; furtis ac sacrilegijs,
artem hanc, Inferorum regno apprimè salutare ac proficua, ne-
quiter prodiderim, ac perdidderim. Hujus nos facti penitet pudetq;.
Admoniti tamen à te, sapientissime Alastor, submissè hujus tanti
delicti veniam petimus, promittimusq;, si denuo in Germaniam ab-
legati fuerimus, nos rem totam cautiùs tractaturos.*

ALASTOR.

*Abite, quò vultis, permitto; delictum etiam condono; ve-
rùm hanc cum conditione, ut fraudes hasce astutè occultetis &
callidè, ne quivis Davus intelligat.*

WIPPERUS.

Fiet.

OBOLESTATES.

Cur abitur.

Paululum progressi sic loquantur.

WIPPERUS.

Quid nunc animi tibi Obolostates? stabimusne promissis?

OBO-

OBOLOSTATES.

Id quidem à nobis fieri planè nequit: lupus pilum quidem mutat, verùm non animum. Longè deteriores in posterum erimus.

WIPPERUS,

Sic quidem & ego sentio: Vix enim auditum unquam est, hominem avarum, rapacem, & sacrilegum fuisse emendatum. Abibimus.

ACTUS TERTII

DELIBERATIO PRIMA,

In Quâ

POLEMOPOEUS, POLIORCETES, PYRGOPOLINICES, POLEMOCLONUS & PHILOMACHUS

Colloquentes introducuntur.

POLEMOPOEUS.

*S*Tate, viri fortissimi, &, quid vos velim, cognoscite. Armipotens Mavors, eiusq; soror Bellona tumultibus ac bellis Germaniam turbare satagunt; ideoq; ex omnibus mundi angulis suos evocant alumnos, quò copias contrahant maximas. Quare cum & vos ante aliquot septimanas non solum vestra mihi dederitis nomina, sed singuli etiam iusti exercitus agmen promiseritis, quæro, quid hac in parte sit effectum, quantamq; vim militum hætenus contraxeritis? Quanquam enim non dubito, quin diligenter officium feceritis, attamen, quia propediem arma movenda sunt, non abs re me facturum arbitror, si, quousq; res perducta sit, scisciter.

K 2

ter.

eer. Tu Poliorceta atq; tu Pyrgopolinice aliquot peditum legiones
promisistis, quò nomine & conditiones luculenta & opime inbo-
spitationes vobis concessa sunt: spero itaq; diligenter ac strenuè &
vobis id prastitum, quod fuit in promissis.

POLIORCETES.

Potentissime & invictissime Polemopae, Domine clementissime,
quid promiserim, quantumve beneficiorum à Dominatione ve-
strà in me collatum sit, rectè adhuc recordor; quin etiam nunc
eximia vestra Dominationi gratias, quas mente concipere possum,
maximas ago, pro tam egregià in me voluntate & affectione, &
ad quosvis Dominationis vestrae nutus exequendos promptissimum
semper ac obsequentissimum me offero. Rem ipsam quod attinet,
sex legiones peditum, & undeviginti turmas equitum, omnes no-
minis Germanici, contraxi; quas, quò & quando illustri vestra
Dominationi visum fuerit, adducere possum. Egregia omnes ju-
ventutis sunt viri, & in re militari versatissimi. De quarum
peritià ne dubitet vestra dominatio, vel urbem aliquam vali-
dissimam, vel gentem quamcunq; fortissimam mihi oppugnandam,
quaso, assignet. Experietur meros Martes ac Heroas à me
conquisitos. Submissè interim rogo, ut aliquantum pecuniae mihi
numeretur, quò Veterani, quorum sunt plurimi, persolutò unò
aut alterò stipendiò, ad audendum animosiores reddantur. Hoc
enim nisi factum fuerit, periculum est, ne, cum non, unde vi-
vant, habeant, seditiones concitent, aut signa deserant.

POLEMOPOEUS.

Placet, ita me magnus amet Mavors, Poliorceta, industria
hac & fides tua proderunt tibi plurimum, meq; semper habebis
rerum tuarum studiosissimum. De pecunià quod mones, mirum
mihi videtur, cum tot Viri illustres ac nobiles; tot locupletes ci-
ves tibi remungendi, & quasi in pradam concessi sint; ex ijs extor-
quendum, quod militis sustentatio requirit; promant illi num-
mos,

mos, dent arma, prabeant vestes, quicquid bellum postulaverit,
suppeditent. Si nolint, malum ipsis miniteris, aut rebellionis crē
men impingas. Intellextin?

POLIORCETES.

Rectè sanè, Domine gratiosissime, fideliter curabitur.

PTRGOPOLINICES.

NEc Ego, potentissime Polemopæe, Domine clementissime, pro-
missa fidei defui. Legiones quinq;, nationis partim Gallica,
partim Hispanica coëgi; magnum præterea lectissimorum Equi-
tum numerum conduxì, quibus tantum tribuo, ut nulla arx,
munimentum nullum, nulla Urbs possit esse tam valida, quin il-
lam ab hoc milite expugnari posse confidam. Mitte, quò voles,
strenuè curabitur, ut nihil inde, nisi pugnarum ac victoriarum
rumores, ac certi nuntij ad te perveniant. Interim ut tuo me
semper clementi favore ac gratiâ complectaris, ac foveas, sub-
missè rogo.

POLOMOPŒUS.

Fecistis uterq; probè officium: Egregiè diligentia hæc vobis
compensabitur. Quod superest, viros vos præstate fortes: nun-
quam vobis meum deerit beneficium, nusquam subsidium. Vos
ceteri duo, quid hætenus gesseritis, exponite.

POLEMOCLONUS.

Illustrissime ac fortissime Polemopæe, Domine clementissime, ne-
quaquã segniter res à nobis gesta est. Turbis hætenus maximis, ut
Dominatio vestra mandavit, omnes circumjacentes regiones ego
complevi, nihilq; prætermisi, quod ad excindendas gentes hæreticas
facere posset; ita nervos incidi omnes, ut, quantopere etiam
velint ac gestiant, non tamen nobis possint esse pares, nedum su-
periores. Mandet vestra Dominatio ipsis, quicquid voluerit,

K13

onera

onera imponat gravissima quæq, nec bis cere quidem contra au-
debunt, ita eorum accise sunt vires, ita feroces perdomiti animi.
Pergat Illustrissima vestra celsitudo in semel suscepto proposito,
nostra virtute propediem eò res perducetur, ut Germania uni-
versa jugum suscipiat, & nullus Illustrissima vestra celsitudinis
intentionibus ac placitis sese ausit opponere. Quod ut fiat in
labore operaq, nostra nihil nos desiderari patiemur.

PHILOMACHUS.

Quantopere ego bella semper, tumultusq, ac turbas non solum
ama verim, sed suaserim etiam, neminem in hoc contubernio,
id qui ignoret, esse arbitror. Semper enim illud mihi in ore fuit
symbolum militare:

Nulla salus paci, bellum te poscimus omnes.

Semper, sicubi potui, bellicorum tumultuum faces jeci, flammam
sparsi. Id enim ut facerem, me perpulit cum insatiabile adver-
sus hereticos odium; tum magnus Romane Catholice Ecclesie
amor, quem nulla unquam vel periculi magnitudo, vel rerum ad-
versarum multitudo animo exterminabit meo. Quare, potentissime
Polomopæe, non est, quod de fide mea dubites, meamve operam
suspectam habeas: Ultra promissum ea hæcenus præstita est; &
quoad hæc dextera hanc macharam tenere, hoc sclopetum explode-
re, hæc arma in hostem vertere poterit, semper fidelissime præ-
stabitur. Infinitos ferme hæcenus hereticorum nidulos excussit;
Urbes pagosq, exussit plurimos, arces atq, castella in cineres ac
favillas redegit validissima: agros ossibus, flumina cadaveri-
bus, fossas sanguine complevit; nihilq, planè prætermisi, quod ad
animi tui libidinem exsatiandam facere posset. Spero pro-
inde, labores hosce meos tibi maximè probatum iri, Teq, Illustri
ac clementi tuo favore me semper dignaturum esse.

POLEMOPOEUS.

Flet, Philomache: opera à nobis dabitur sedula, ne, quem im-
pensè

pensi laboris paniteat. Quod superest, viri fortissimi, abducite legiones vestras in florentissimas quasq; Germania regiones, strages & caedes edite cruentissimas, hostili fervore ac flammâ devastate omnia, quò vel tandem aliquando superba illa Germanorum de libertate gloriatio comprimatur, nobisq; pro nostro lubitu in eosdem dominari liceat. Melius enim respublica geri & administrari nequit, quàm si ab unius nutu dependeant omnia, æminiq; reddenda sit ratio. Abice & rem strenuè gerite.

ACTUS TERTIJ
DELIBERATIO SECUNDA,
In Quâ
ARDELIO & FAMA
colloquuntur.

ARDELIO.

Quantopere ha aures gestiunt aliquid novi audire? Dimidium ferme diei jam effluxit, cum nihil adhuc, quid passim per Germaniam fiat, quantocunq; etiam studio, huc illuc cursitando, investigaverim, potuerim expiscari, Tædet Vita bujus, immo & lucis piget! Ad forum modò cum essem, in matrem Πολυπραγμοσύνην, Sororemq; Vanitatem incidi: Speravi tunc quidem fore, ut esurienti huic animo aliquid pabuli preberetur: Verum frustra id fuit. Ingentem quidem literarum fasciculum mater exhibuit; Sed ijs de rebus, quas ad nauseam usq; iam pridem lectitaveram. Vanitas Soror dicebat, se audivisse, nescio unde, Monachum Italum quendam enixum esse infantem, In Utopia bovem locutum esse, Asinum peperisse hominem. Verùm ipsi quantum fidei adhibendum sit, notum est omnibus. Accurrere tandem è fratrum atq; amicorum collegiò aliquot, qui constanter affirmarunt, Polemopæum maximos undiquaq; con-
trahere

trahere exercitus, nilq̄ nisi bella & cades spirare. Adjecerunt
præterea, amicorum literis se testari posse, multas non solum ur-
bes, sed regiones etiam ab ejus ducibus, partim vi & minis, par-
tim dolis & fraudibus jam occupatas esse, Terrore Panicò omnia
in Germania torpescere, nec esse, arma contra qui ferre ausint,
nisi unum & alterum, quibus hæ machinationes suspectæ sint.
Quicquid sit, Fama adventum, magnò cum desiderio, expecto,
quæ si venerit, ero procul dubio paulò certior, quid veri,
quid falsi narratis subsit.

FAMA.

IN Theatrum prodeat, & primò signum det buccinæ; hinc Ar-
delio sic exclamet.

ARDELIO.

HEm! hui! hui! quid audio? quæ vox jucunda meas verbe-
rat aures?

Hinc FAMA sic pergat.

Dli boni, novi quantum apporto! quam velim Ardelionem
mihi iam fieri obviam.

ARDELIO.

HUli! Ardelionem nominat: Ut animus exultat gaudiò! ut
cor sub pectore palpitat! Dij me servatum volunt, plus no-
vi, nisi mea me fallit sperandi facilitas, rescivero, quam per
integrum subsequens triduum disseminare valeam.

FAMA.

IS enim, quod certè scio, regnum sibi partum putabit, si ea, qui-
bus onusta iam incedo, ex me audiet nova.

ARDELIO.

ME quarit, alloquar: Salve sis Fama: Ecquid novi?

FAMA

FAMA

Salve & tu Ardelio: Novi plurimum: Sed vereor ne nimis angustum sit hoc ad narrandum tempus.

ARDELIO.

Prome, prome, quantum per temporis angustiam licebit.

FAMA.

Pleni turbarum ac tumultuum omnes sunt mundi anguli: Verum nunc non vacat omnia singulatim recensere. Accipe tu Ardelio hunc literarum fasciculum, & earundem lectione te oblecta. Mibi ocyus aliud properandum. Vale itaq; mi Ardelio, ac simul atq; hasce literas perlegeris earundem contenta in plures divulgato.

ARDELIO.

Flet Fama suavissima. Gratias interim ago & habeo maximas, pro tantis jucunditatum oblectamentis: Operam dabo, ut ego, qua ex hisce scivero, e me sciant plurimi.

FAMA abeat: ARDELIO autem literis inspectis, & simulata lectione, sic exclamet.

ARDELIO.

PApè! quàm jucunda, quàm antidhac inaudita fama attulit! Deorum immortalium voluptate jam perfrui mihi videor: Abeundum hinc est, ut, ego qua scio, sciant plurimi.

ACTUS TERTII

DELIBERATIO TERTIA

In Quâ

N

Duo

Duo Cives, eorundemq; Uxores; nec non
aliquot Agricolaë, & Rusticanaë Mulieres
Colloquentes introducuntur.

CIVIS JOHANNES.

Sequere Uxor suavissima, quò nos fata trahent, retrahentq;
sequemur; tam immanes injurias, quibus quotidie divexa-
mur, ferre diutius non possumus, nisi multis modis perire
tandem velimus. Dies sequens, ut, proh dolor! satis superq; ex-
perimur, præcedentis angustias duplicat, & quò diutius hic
commoramur, eò maiori incrementò nostra augetur miseria.
Tu acerbissimis corripere verbis: Ego comminationibus: Mibi
strictò gladiò vis sapè affertur maxima; Tu ad terram protru-
deris: Tenduntur mihi insidia; Te in easdem mecum incidere
doleo, & nequando in maximum malum ac vitæ periculum inci-
damus, vehementer metuo. Quatior ego foràs; Tu unà cum
liberis, vestigia mea, non sine ingenti dolore, sequi cogeris. Id-
circo fluctus hos, & tempestatem omni crudelitate majorem, sub-
terfugere, Deò duce, & auspice placet. Para, quæ paratò opus
est, & præcuntem me sequere.

ANNA.

Quò te sequar, Marite suavissime? An domus nostra, & uni-
versa relinqvenda supellex, & in exilium abeundum? O do-
lor! ô miseria! Sancte Deus, cur non, missò cœlitus telò, nos
eneas?

MARITUS.

Mitte, quæso, lacrymas, Annula dilectissima, & diris istius-
modi abstine imprecationibus, nec vehementius hoc pectus,
per se satis saucium, ac agrum, hoc lancina ejulatu: millies mori
malim, quam denuò hæc ex te audire verba. DEUS nobis. ade-
rit:

rit, salutiq; ac vite nostra consulat: Is viam monstrabit, atq; nos, si vel per ferventes Lybia arenas, vel per Athonis, & Caucasinives, eundum sit, tanquam protector egenorum, educet, purissimog; caelestium mentium cœtu comitabitur, atq; in locum procul dubio perducet tutissimum, ubi à tot periculis vacui, indignissimarum calamitatum, quibus nunc affligimur, oblivisci paulisper poterimus. Nihil igitur est, quod fletus plangore locum omnem compleas. Pone, si Tuus in me amor adhuc in animò residet, mœrorem, & lacrymis impone finem.

ANNA.

Quâ possim, Marite Charissime? nudi, & omnium rerum egeni aufugimus: Quis nos recipiet? Quis hospitium, quis alimenta suppeditabit?

MARITUS.

Adhuc vivit Dominus, qui sibi confidentes deseruisse nescit: Ad tempus abeundum est: non diuturna erit hæc calamitas: nubecula est, præteribit. Disperdet Dominus de facie terra Cyclopes hosce, qui nos tam nequiter affligunt. Nihil proficiet eorum potentia, longè ijs potentior est Deus, qui, ut justissimus iudex, eò rem perducet, ut, quando ad summa pervenerit incrementa, corruat, & in vertices eorum pernicies fraudesq; recidant, quas subdole moliuntur. Faciet illis terrorem, ut à nostris cervicibus advertantur; faces ex paterã ira, quam vindice pharmacò undantem iam diu temperavit, ebibendas porriget, ut subito pereant, & nomina eorum ne cogitentur quidem amplius. Ferreò sceptrò percellet eos, & ut vasa è fragili lutò facta, perfringet. Hoc qui videbit, DEUM fecisse clamabit.

ANNA.

Viden' Marite, me vicinam esse partui? Quò itaq; te sequar? Egone otio hæctenus, & rei domestica assueta, ut vagabundate

L 2

date-

*Da tecum, instar mendicantium oberrem? Oh! oh! hei! hei! vi-
ta tadet, piget hujus lucis.*

MARITUS.

*S*equere interim me, & cogita cum multis alijs communem no-
bis esse hanc miseriam; mitte lacrymas. Verum hem! Quem
oculi mei perspiciunt? Estne vicinus noster cum uxore? Est, pro-
fecto est. Miror, quod ipsi sit iter. Subsistamus, ut quod tendat, in-
telligamus.

CHRISTOPHORUS.

*N*isi oculi me fallunt mei, compatrem nostrum Johannem con-
spicor.

DOROTHEA.

*E*undem me conspiciari autumo.

CHRISTOPHORUS.

*C*ongrediemur: Salve compater Charissime, vicine quondam
optime.

DOROTHEA.

*S*alvi sitis uterq;: Conspectus vester nobis longè jucundissimus.

JOHANNES.

*S*alvete & vos hominum amicissimi.

ANNA.

*S*i qua salus superest, hoc beet par hominum, nosq; etiam ipsos
ex hac presenti morte eripiat.

CHRISTOPHORUS.

*Q*uid properas, & cur Uxorem vicinam partui tecum trahis?
quem, queso, fugis? Eademne, quâ nos olim, injuriâ expul-
sus, exilium quaris?

JOHAN-

JOHANNES.

Quid ita festinem, quæris Christophore, quemvè fugiam?
 Latrones illos, qui me, qui te, nosq; omnes perdidderunt, fugio:
 Illi, illi me cum miserrimâ fœminâ patriâ expulerunt. Sunt
 bestia, qui nec Deum, nec homines curant, sed tantâ crudelitate,
 & ferocitate exultant, quanta vix esse creditur in Turcis, &
 barbaris Ethnicis. Tempora sunt, quibus nec acerbiora pertu-
 lit antiquitas, nec difficiliora perferet posteritas.

ANNA.

OH! ob! vicine optime, illi nos quibus non cruciamentis affli-
 xerunt! Reculas nostras omnes nobis eripuerunt, nec relin-
 q;erunt nobis vel obulum, quo vestim emamus. Fustibus, bacu-
 lis, ita nos contuderunt, ut nihil iam restet in corpore sani. Hanc
 fluolam meam Sophiam quibus non affecerunt injurijs! vix in-
 corruptum virginitatis decus, & vestem unicam secum efferre
 potuit.

SOPHIA.

Ita est, proh dolor! nisi horridula me abscondidissent tenebra,
 nisi occultissimis latebris me, meamq; pudicitiam tutata hadtê-
 nus fuisssem, actum de me fuisset planissimè. In cryptâ quadam
 subterraneâ, per menstruum spatium delitui; nec tamen ibi tuta
 esse potui. Parùm enim abfuit, quin à perfidâ nostrâ ancillâ
 prodita in ineluctabile periculum incidèrim. Quin & alias e-
 labendi occasiones, omnisq; generis xeno Φύρετα excogitavi, ut me
 pudicitiamq; meam sartam ac tectam conservarem. Verùm o-
 mnia sine fructu. Mutandus itaq; hic locus fuit, & alius quaren-
 dus angulus, qui me, DEO sit laus & gratia, ad hanc usq; fu-
 gam, ab omni violentiâ intactam conservavit.

CHRISTOPHORUS CIVIS.

Dolet vehementer, Commater honestissimâ, quod huc miseria-

Alz.

v21193

rūm redactam te videam; quicquid tamen sit, mitte lacrymas,
& Deo rem committe. Is n. tibi, quā sentis, imposuit crucem,
cūm, ut te ob tua, quæ commisisti peccata castiget; tūm, ut tuam
fidem, tuamq; in rebus dubijs constantiam probet. Nam sicuti au-
rum ab aurifabris septies probatum purius efficitur: ita etiam De-
us tuam probat fidem, ut ab omnibus incredulitatis facibus pur-
getur. Ne igitur, queso, desperes, sed hoc, quicquid est, oneris &
mæroris patienti fer animō, quia in tuum cedit commodum. Li-
cet enim Deus te cruce premi jam sinat, non tamen opprimi sinet.
Misericors namq; est, & longanimis, & sicut pater miseretur fi-
liorum, ita Dominus miseretur timentium se. Hinc suos non po-
test deserere; & licet ad idtū oculi se abscondat, majori tamen
gratiā suos recreabit. Considera quoq; Commater optima, hanc
castigationem ejus erga te amoris verissimum esse indicem. Hoc
enim illi est proprium, ut, quos amat, castiget, quō eos instar
patris, filij sui salutis optimè consulentis, corrigat: ideoq; nonnun-
quam, ne prefixis excedant limitibus, illos cruce premit. Nam si illis
res semper essent æquē secunda, altiūs erigerent cristas, nec debi-
tō eum honore afficerent; proximum, ut abiectiorem, despiciatui
haberent, & nullum non scelerum genus perpetrarent. Hæc omnia,
Commater mea, tuis percurras, queso, cogitationibus, &, nimio
hoc dolore missō, ab omni desistas indignatione.

ANNA.

Scio ego hoc quidem, & futurum credo; verūm, o miseram me
fæminam, cui hoc tempore exulandum! mori malim, quā
hominum oberrare ludibrium.

DOROTHEA.

Respice me, vicina quondam lepidissima, atq; è quantis facul-
tatibus idem fortune turbo precipitem me dederit, cogita:
Terrā patriā quidem exulamur; verūm cæli aditu prohibere ne-
mo nos potest. Feramus itaq; patienter, quas DEUS imponit, æ-
rumnas.

CHRISTINA.

CHRISTOPHORUS.

E Patriam jam venitis, illam in quo statu reliqueritis, perquam scire velim.

JOHANNES.

Quo in statu, quaeris? In miserrimo ac funestissimo. Barbarus miles omnia diripit, cadibus omnia, ac incendijs devastat, praeter vitam nudam ac miseram, nihil relinquitur civibus; Unni saepe civi pauperculo decem alendi sunt milites, qui non tribus, aut quatuor, sed viginti vix ferculis satiari se patiuntur. Cerevisiae ac vini dandum est affatim, quod iam antehumentes gula respuunt, id turpiter profundunt.

Januas, fores, fornaces, fenestras, mensas confringunt; parietes perfodiunt ac diruunt, suppellectilem, cujuscumque illa sit pretij, surripiunt; si usui duntaxat inserviat quotidiano, diffringunt ac comburunt: Faeminas uxoratas, virgines, ancillas, famulas adulterijs contaminant; a nemine vim & injurias abstinent. Nihil praesidij in Senatu, nihil in ceteris magistratibus est; ignominiosis convitijs dirisque sannis viri optimi divexantur: Grandes pecuniarum summae imperantur, quae si cogi nequeunt, de magistratum luditur corio, captivi concluduntur; fumis & squaloribus cruciantur, ad ignes torrentur. Quid? nec viris principibus ac nobilibus parcunt. His namque omnem detrahunt auctoritatem, omnem praevident suam tyrannide potestatem: quicquid damni excogitare, effingere & comminisci possunt, id sub praetextu necessitatis inferunt; imperant instrumenta bellica, ad expugnandas urbes, quae nihil piaculi commiserunt, sed pro vita, ac libertate sua pugnant, ingentem commeatus copiam subministrari iubent. Si qui sunt, qui denegant, rebelles declarantur, & absque omni misericordia in exilium eiciuntur. Isti vero improbi sedes profugentium occupant, bona relicta sibi arrogat, quibus utuntur, tanquam suis. Ad piorum animas extirpandas arma in-

ma in-

ma induunt; Sanguinem innocentium profundunt sicut aquam: In incursionibus, quas sine morâ faciunt, aded crudeliter, & tyrannicè seviunt, ut tota tremiscat regio, & omnes, qui in ea habitant, potentes, quid de me dicam, qui & ipse illorum furores, ac malitiam sepius sensi? Albente vix cælo, omnis generis mala me exceperunt: Aurora victum lacrymis irroratum præbuit: Vesperus pocula continuis commista mœroribus suppeditavit, nec momentum abiit sine maxima rerum acerbitate. Verùm quis omnes casus & arumnas enumerare valeat? paucis habes Christophore, quantas, post discessum tuum, miseras pertulerim. Porro cum nullum planè violentiæ genus in me & alios cives prætermisum fuerit, iam olim & ego patriam emigrassem, nisi hac mea Annula fugam impedisset. Verùm quid ista mora mihi profuit? omni consumptâ substantiâ nihilo secius in exilium iam abeundum est. Ereptis enim bonis omnibus, quæ ad vitæ sustentationem pertinent, animarum saluti insidiari incipiunt, & Reformationem, nescio quam, civibus persuadere conantur, quæ sanè vis planè intolerabilis est: sub eâ enim non huius temporalis, sed æterna vitæ exitium queritur, & si accuratiùs rem considero, est planè impia, ac perniciosa ad omne malum instigatio, quæ præmittit agnitæ veritatis abnegationem, malam conscientiam subjungit, pietatem ex animis radicitiùs extirpat, fiduciam in Deum tollit, desperationem adfert, imò aditus ad ipsius tartarei barathri claustra aperit, quod facile ijs patet, qui veræ religionis, ac pietatis fundamenta intelligunt, & horrendos errores tam blasphæmæ doctrine, qualis papistica est, ad verbi divini auctoritatem, tanquam ad Lydium lapidem, examinare nòrunt.

CHRISTOPHORUS.

Durum mihi, ac miserum Patriæ nostræ statum narras. Gratulor mihi, atq; huic Dorothea mea, quod in tempore fugæ rebus nostris consuluerimus. Quis enim vivus tantam protervi-
am, ac petulantiam ferre posset? quis esset tam durò, saxeòq; cor-
de,

de, qui, cum liberos suos indignè tractari, uxoremq; & filias ad quamlibet trahi libidinem videret, temperaret à lacrymis? quis, cum omnia sua adspiceret funditus extirpari, patienti esset animo? Ego dira hac longò quidem tolerabam tempore, & multum devorabam injuriarum: verùm cum animadverterem omnia in dies in pejus ruere, nec spem pacis recuperanda superesse ullam, sed execrandam militum malitiam semper augescere, me fugà subducebam, & exulatum cum uxore abibam. Animam enim maluissem profunderè, quàm tantam militis sceleratissimi perferre atrociam.

(His finitis, Agricolaë, & Rusticanaë mulieres in Theatrum prodeant, & magnum excitent clamorem.)

MELIPOEUS.

Oh! ob! ob! Menalca; Heu! Heu! Heu! O dolor! ô dolor!
ô calamitas!

CHRISTOPHORUS.

Vnde novus hic clamor exoritur? quèd eiulatum audio?

JOHANNES.

Miserabilis is quidem est.

CHRISTOPHORUS.

Homines agrestes esse videntur.

THESTTLIS.

Hoi! hoi? ah! hoi! ubi filia mea? ubi supellex? ubi ancilla? ubi
cetera familia?

FAUSTULA.

O Nos mortalium omnium afflictissimos! quò fugiamus? imò
quò mortis genere ingratham hanc vitam abrumpamus?

Ⓜ

CHR.

CHRISTOPHORUS.

UT dixi, agrestes sunt homines: de novis conqueruntur cladi-
bus: accedemus, ut, quid rei sit, cognoscamus. Accedant &
sic alloquantur.

JOHANNES.

Salvete.

CHRISTOPHORUS.

Salvete, viri boni, quò vobis iter est? unde isti questus ac eju-
latus?

MELIBOEUS.

O Domine, salvete & vos; ipsi, quò eundum, nescimus. Du-
riora ac diriora passi sumus, quam qua ullis verbis enuncia-
ri possint: si vel toti in lacrymas solveremur, vix tamen millesi-
mam calamitatum nostrarum partem pertexere possemus.

JOHANNES.

Quas calamitates dicitis? quas clades? exponite.

MENALCAS.

Prospicite, quaeso, versus meridiem, versus Occidentem: videte,
videte, quot ibi incendia; quanta fumorum ac favillarum
vis: audite, quantus ex cadentium tectorum ruinis fragor,
quantus ex pereuntium gemitu clamor, quam miserabilis semiu-
sti pecoris mugitus sit: omnia ploratu personant: immò inspicite
nos, inspicite uxorum nostrarum capita: videte, quaeso, quot
vulneribus, quantis tumoribus, quamq; fœdâ effusi cruoris asper-
gine squaleamus.

JOHANNES.

Unde hac omnia, per Deum immortalem!

MENALCAS.

Unde, quaritis: sub primam lucem irruptio facta est in pa-
gos

gos nostros à barbarò milite: qui, direptis bonis omnibus, multisq; hominum millibus trucidatis, pagos nostros incendit, nullumq; planè sevitia genus pratermisit; obvios quosq; trucidavit, pecora partim abegit, partim in ignes coniecit. Quin & segetes inflammavit, arbores succidit, fontes venenis corrupit, & extrema vastitie ac fœditate omnia complevit. Ipsum Cacodemonem atrociori immanitate, & immaniori atrocitate erga ullos unquam mortales usum fuisse, nec audivi, nec, si audirem, credere possem.

THESTILIS.

Immò in sexum nostrum que non turpia patrauerunt? Nulla unquam Turcarum tyrannis fuit tanta; nulla barbarorum libido tam fœda, horum immanitatem que vincat.

FAUSTULA.

OH! Oh! filiolas meas tres duodecim vix annorum puellulas abduxerunt; ancillas omnes nefandis libidinibus contaminarunt. Fures, non homines esse, sed Diabolos incarnatos: adeò nulla honestatis mica in ijs est residua.

CHRISTOPHORUS.

Quàm longè, quaeso, à nobis abest immanis hæc Harpyiarum perniciès?

MELIBOEUS.

Non procul, viri optimi, abest: vix dimidio milliari pagi hinc distant nostri. Quare dimittite nos, ne fortè per insequentium furorem omnes unà pereamus.

CHRISTOPHORUS.

Recte mones, ocyus hinc aufugiemus.

M 2

ACTUS

ACTUS TERTII
DELIBERATIO QUARTA,
In Quâ
Tres milites colloquentes introdu-
cuntur.

GNATHO.

HEm Fratres! nunquid vobis placet hæc militia? otian-
do quantas divitias corradimus? Hostis nobis nunquam est
visus? interim tamen, quicquid lubet, facimus. Annon
hæc Deorum immortalium vita est?

SANGA.

SAnè placet, Gnatho, vel maximè; pœnitetq; aded, quòd tantos
antea studijs labores impenderim, cum faciliori ratione disces-
cere & inclarescere potuerim.

SIMALIO.

Vlta quidem hæc, commilitones, satis iucunda, & ad accu-
mulandas divitias apta videretur, modò conscientias nostras,
quanta hæc est temporum pravitas, illasas vobis conservare li-
ceret. Cogitate, queso, quàm flagitiosè vitam fermè omnem
transigamus. Militia quidem res in se licita est: abusus verò no-
minis militaris, quæ non scelera patrat? Scortamur, belluamur,
vigili Bacchò dies noctesq; traducimus; ex raptu plerumq; vivi-
mus, hæcq; corpora nostra pauperum sanguine & sudore sagina-
mus: Sub prætextu defensionis hostes etiam immanitate superamus;
quicquid scelerum excogitari potest, illud impunè commilitones
nostri perpetrant, divinum numen gravissimis blasphemijs im-
petunt, horrendas execrationes edomunt; in sacrilegijs, scortis &
commessationibus, turpi libidine astuantes, assidui sunt: honestas
pro turpitudine passim habetur; turpitude honestatis nomen e-

men-

mentitur: Fas, ius & equum pedibus conculcatur, sacra profanaq; omnia confunduntur; incendia passim nocturnas pellunt tenebras, hominesq; rebus suis exuti, indignissimis tractantur modis. Horreo ego, horreo, quum rem hanc mecum cogito: & quoties tamē flagitia eorum detestor, omnium risu & exsibilatione excipior. Quid itaq; futurum? An, Deum esse, ignoramus, tanta scelera qui puniat?

GNATHO.

Que (malum!) religio te incesit Simalio? Haecinè est militis oratio? Venter mihi DEUS est, quem colo; alia numina ignoro. Conscientia rationem si quis habere velit semper, ne, ille strenuè esurire ac sitire cogetur! Apagesis istiusmodi religionem. Quin tu potius, Sanga, expone, quo pacto tibi hesternae veteratoris nostri tractatio placuerit.

SANGA.

Cuius Veteratoris, Gnatho? hospitem, ni fallor, intelligis nostrum: Caput lepidum & jucundum!

GNATHO.

Rem acu tangis, ipsum nebulonem intelligo.

SANGA.

Satis quidem lauta fuit illa; verum non ipsius, sed nostrae operae: nisi enim verberibus scelus hominis compulsemus, atropane & halecibus victitandum fuisset: ha, ha, he, ut se torquebat! ut os pendulum distorquebat! ut, quoties, quid apponendum esset, praescribebamus, ingemiscebat, & instar vetulae, lacrimas profundeabat!

GNATHO.

Jucundissimum sanè mihi ea res praebuit spectaculum, nec tam ventrem mihi, quam oculos pascere mihi visus sum: deliciae quippe meae sunt nequissimorum civium lacrimae.

M 3,

SIMA-

SIMALIO.

Non est, commilitones, quod tam miserabili spectaculo nos
oblectemus: iniquè actum est cum homine: vindex DEI ira
metuenda est, quæ tantam ingratitude ac impietatem inul-
tam abire non sinet; Et licet fortè tardior ventura sit pœna, gra-
vior tamen veniet.

SANGA.

Mitte hæc, Simalio, conciones si audire luberet, templa in-
grederemur, non te militem concionantem, proh dolor! au-
diremus: Tu potiùs Gnatho expone, quo pacto Thaidis nostra can-
tio, nocturnaquæ cum reliquò Gynaceò tibi placuerit conversatio.

GNATHO.

Optimè, ita me magna rectè amet Venus; non enim jucundi-
orem noctem ullam me vidisse memini.

SIMALIO.

Jucunda tibi nox videri potest, Gnatho, in quâ contra consci-
entiam, tot patravisti scelera? Non abstinuisti scelus ab alie-
nis uxoribus, non à castis Et suspirantibus virginibus. Quid de
te futurum putas? Oblitus es, nequæ adulteros nequæ scortatores re-
gnum cœlorum adituros? An verò putas, militi, quicquid lubi-
tum fuerit, impunè etiam licere: Peccatorem publicum, atquæ ho-
nestum militem eundem esse opinaris: verùm erras. Miles qui-
cunquæ verus est, idem etiam vir bonus est, nec oppugnat honesta-
tem Et justitiam, sed propugnat: secus si fecerit, non miles, sed
latro est.

SANGA.

Apage istum sermonem! tales milites ego in paradiso, non in
hoc mundo quarendos esse existimo.

SIMA-

SIMALIO.

ERras, Sanga, sunt adhuc & fuerunt semper veri milites, qui pro honestate, verâ religione & iustitiâ vitam profunderere non dubitârunt: ut apud Romanos Germanicus, Constantinus M. & alij complures; nostris temporibus Rex Suecorum invictissimus & laudatissimus. Horum exempla nos intueri conveniebat, nec laudatissimo huic & Reipublica maximè salutari ordini maculam aliquam aspergere. Quæ, quaeso, hodiè non virtutes militares in Rege Svedia & multis eius ducibus prædicantur? At nos, quasi ab omni Christianâ fide & pietate abalienati, nil minus sumus, quam veri milites. Hælluamur, scortamur, latrocinamur. Et cui, quaeso, operam nostram addiximus? cui servimus? Annon Antichristo Romano, qui tam atrociter veram persequitur Ecclesiam? Is omnis generis libidines & scelera nobis ad tempus permittit, quo scopum, quem sibi præfixum habet, attingere valeat: quem si obtinuerit, tandem etiam sævitia & furoris vim in nos convertet.

GNATHO.

Presentia ego, non futura curare soleo. De Sveco multi multa fabulantur: in diem fore id mali arbitror, quod minitantur: interim hanc ego curo cuticulam.

SANGA.

ET ego: verùm audin' Gnatho, num Pamphilum & Philænum etiam ad canam invitabimus:

GNATHO.

Topper placet! invitentur viri facetissimi. Sic n. magis excrucietur sceleratus ille hospes, atq; hic Ecclesiastes.

SANGA.

Flet, Gnatho, hanc etiam noctem hilarem sumemus.

SIMA.

SIMALIO.

Facite quicquid lubitum fuerit, vestri sceleris nunquam particeps ego ero.

ACTUS TERTII
DELIBERATIO QUINTA,
In Quâ

Duo Theologi, THEANDER &, THEOPHILUS; ut & CONSTANTINUS Martyr, duobus studiosis comitatus, colloquentes introducuntur.

THEANDER.

Quia, Reverende domine Theophile, frater in Christo carissime, qua, inquam, de hisce turbis bellicis, quibus universa Europa divexatur, tua sententia est? quid tibi sub tantis hisce malis & persecutiombus speres?

THEOPHILUS.

Quid sentiam; Frater, quidve sperem, queris? Ego, nisi benignius Numen nos respexerit, actum de nobis puo planissime. Nec tamen horrenda belli procella amplius me tam terret, quam ingens nova Reformationis periculum. Multorum enim bonorum virorum literis ad me defertur, atrox executionis Edictum publicè promulgatum esse, quò homines passim violenter ad superstitionem & perfidiam pontificiam amplectendam compellantur, ministri verbi, & alia persona Ecclesiastica è nidulis suis eiciantur, idq; agatur unice, ut vera & orthodoxa Ecclesia opprimatur, tetra & blasphemata dogmata contra Dei filium spargantur, sicq; homines à Deo averti, in viam impiorum abducantur, & in aeternam precipitentur perniciem, in quâ erit fletus & stridor dentium: fletus quidem ob ignem, qui non extinguitur

guitur: Stridor ob vermem, qui non moritur: Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Ex te, siquid certi habeas, perquam scire velim.

THEANDER.

Nimis verum est, quod dicis, Theophile. Perlegi ego illud Edictum, ex eoq; perspexi, verbis quidem ea saltem bona Ecclesiastica, quæ post Transactionem Passaviensem abalienata sunt, repeti: Re verò ipsâ totius Lutherana Ecclesia extremam quæri perniciem. Etenim si omnes illa Ecclesia, quæ post illam Transactionem ad Evangelij veritatem accesserunt, avulsa; si bona Ecclesiastica nobis adempta fuerint, na inter angustissimos terminos Ecclesia Lutherana coarctabitur, scholæq; plurimæ, cum inferiores, tum superiores, planè concident! Nam, cum hæctenus Ecclesiarum & scholarum ministri hisce redditibus sustentati fuerint, undè, quæso, Ecclesijs illis avulsis, scholisq; devastatis, sua habebunt salaria? undè necessarium victum & amictum? nonnè, nisi quidem res sibi planissimè ad restim (quod DEUS prohibeat) redire velint, panem ostiatim mendicando quærere cogentur? Quin etiam, si hac avulsione vires nostras ab initiò debilitaverint, vi tandem utentur majori, reliquiasq; Ecclesiarum nostrarum funditus extirpabunt. Quis enim, nervis nostris ita incisis, tanta potentia, tot mille militibus agrestibus & barbaris, qui jam totum Romanum Imperium tenentes, agros maximos ac feracissimos depopulantur, araria expilant, horrea & domos evacuant, omnemq; comineatum præreptum consumunt, resistere poterit?

THEOPHILUS.

Qantum quidem ex te audio, Theander, in periculo versamur maximò, nec aliud superest auxilium, nisi quod à divina omnipotentia speratur.

P

THEAN-

THEANDER.

Rem ipsam dicis, frater suavissime. Nisi enim DEUS nos respexerit, actum esse de nobis planissime, quis non videt? idque vel maxime, si Suitarum astuta & violenta, quae ipsis diabolus, ille $\mu\omega\epsilon\iota\omicron\tau\alpha\chi\upsilon\Theta$, suggerit, consilia; si ingentem Liga Catholica potentiam, & vires ad hoc bellum collatas maximas; si contra totius Lutheranae gentis socordiam, negligentiam, imbecillitatem, omniumque virium defectum consideres.

THEOPHILUS.

Prudenter hac de re disferis, Theander: Verum ecquid ille, qui duobus comitatus juvenibus, iter huc intendit?

THEANDER.

Nisi oculi me fallunt mei, Ecclesiastes est, ob fidei vestrae professionem exilio multatus: Duos secum ducit iuvenes, quos studiosos esse crediderim.

THEOPHILUS.

Non falleris, Theander, nos allocuturi videntur: Audiemus, ni fallor, graves querelas ac gemitus.

THEANDER.

Eleemosynam petituri videntur: Hic subsistemus. Quicquid enim in pauperes confertur Christianos, in Christum ipsum collatum videtur.

THEOPHILUS.

Recte mones, Theander, quid velint, audiemus.

CONSTANTIUS Martyr, Exul.

Salvete, Viri Reverendi & Clarissimi, salvete; quasumus, ne agraè hunc nostrum aditum feratis.

THEO

THEOPHILUS.

Absit hoc, vir optime, quin tibi potius, tuisque huic comitibus, optima quaeque precamur; jucundumque nobis est, quod vestro colloquio nobis copiam facere volueritis.

PHILOMATHES.

Salvete plurimum, viri Reverendi & Excellentissimi, DEUS divotissime vos conservet incolumes.

PHILOMUSUS.

Idem & ego precor vobis, viri admodum Reverendi & Clarissimi: Conservet vos supremus ille, jam defessa & penè depresso Ecclesiae patronus, Deus, in ministerium Sacratissimi sui verbi, nominisque sui gloriam diutissime.

THEANDER.

Si quid adhuc salutis in rebus superest humanis, eam vos omnes divinitus beari, animum precor. Sed unde, quaeso, venitis?

CONSTANTIUS Martyr.

Unde, quaeritis? Ex magnis tribulationibus.

THEANDER.

Id quidem de se respondere possunt Christiani omnes. Per multas namque afflictiones oportet nos intrare in regnum Dei. At enim patriam nos quaerimus, gentem & nomina vestra.

CONSTANTIUS Martyr.

Patriam si quaeritis: Partim ex Austria, partim ex Moravia, partim ex Bohemia venimus. Nomen mihi est Constantio Martyri; E studiosis huic Philomathi, illi Philomuso. Austriacus ego sum: Horum unus Moravus, alter Bohemus est. Omnes ob orthodoxae doctrinae Evangelicae professionem eiectioni sumus. Ac ego quidem alterum iam annum in exilio oberro: Ambo autem hi aliquot

ante me eiecti sunt mensibus. Quantis verò cum erumnis exiliū
sit conjunctum, satis hæcenus, magnò cum nostrò malò didici-
mus. Omnes nostri notitiam aut perdidisse jam, aut ejurasse vi-
dentur, ita ab omnibus deserimur, negligimur, contemnimur!
Verè cum regiò vate Davide dicere possumus, Amici nostri &
proximi adversum nos appropinqvant, & è regione pla-
gæ nostræ stant, & propinqui nostri de longè steterunt.
Proinde inconcussum manet illud Poëta:

Donec eris felix, multos numerabis amicos;

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Quæ cum ita sint, idemq; Salvatori, & ab ipsò missis Doctõribus, ex
sacrò codice, accidisse, constet, nobis, utpote ipsorum successoribus,
melius quid expectandum non est. Quocirca si non esset nobis in
verbò Dei solatium, periremus. Magnum enim, imò maximum
dolorem, nobis facit hominum incredibilis perversitas & sevitia,
qvi omnem culpam in nos transferentes, nos convitijs proscindunt,
nosq; illos esse, qvi totum terrarum orbem ad arma concitaverint,
indefinenter clamitant. Ergò, ò bone Deus, respice, quæso, no-
stram miseriam, & nos ex tot tantisq; malorum ludibus & flu-
tibus eripe.

THEOPHILUS.

Noli flere, vir optime: Qui hic cum Christo patitur, ibi
cum illò dominabitur. Paulus enim, si hic toleramus,
inqvit, ibi etiam cum eò regnabimus. Et nos justii in alterâ
vitâ stabimus in magnâ confidentiâ adversus eos, qvi nos afflixerunt.
Videntes autem (inimici nostri) turbabuntur timore horri-
bili, gementes præ angustia Spiritûs, dicentes inter se: Hi sunt,
quos habuimus aliquando in derisum & in similitudinem
opprobrij. Nos insensati vitam illorum aestimabamus in-
saniam, & finem illorum sine honore. Ecce, quomodo
computati sint inter filios Dei, & inter sanctos fors illo-
rum. Ergò erravimus à viâ veritatis, & justitiæ lumen

NON

non illuxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.
Bono proinde & infracto sis animo. Ecclesie hac sors, hac condi-
tio est: dum affligitur, floret: dum opprimitur, crescit: dum
contemnitur, proficit: dum leditur, vincit: dum arguitur, in-
telligit: imò tum ma imè stabilis & firma est, quàm superari
videtur. Revoca tibi in memoriam, quod divina promissio diser-
te asserit, Ecclesiam nunquam interituram, sed usq; ad finem mū-
di permansuram. Ego, inquit ipse Christus, ero vobiscum o-
mnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Item. In
hac petrâ constituam Ecclesiam meam, & portæ infero-
rum non prævalebunt adversus illam. His & similibus S.
scriptura promissionibus animum tuum contra presentes calami-
tates & miseras obfirma, & interim mihi expedi, quam ob cau-
sam sis ejectus, & quomodo.

CONSTANTIUS Martyr.

Non est, quod de causâ quarites, mi Theophile: causa alia
nulla est, quàm ipsa constans veritatis cælestis professio,
quam Mundus odiò plusquàm Valiniano persequitur, & ex omni-
bus Romani imperij finibus, ceu nefandam heresin, proscribit.
Nuper in Austriâ, Bobemiâ, Moraviâ, & alijs adiacentibus locis,
inquisitione rigidissimâ institutâ, verè orthodoxa Religionis asser-
tores, undiq; evocati, cogebantur. Quo factò, Evangelica
professio damnabatur, atq; publicè, quasi omnis generis rixas &
lites concitet, & digna sit, quæ ex forò poli soliq; funditus exter-
minetur, proclamabatur. Tum omnes fidelissimi ejus Doctores &
professores, tanquàm heretici damnati, eijciebantur. Modus,
quo veritatis perduelles, in eijciendis innocentibus Christi mini-
stris, utuntur, est miserrimus & violentissimus. Certum præscri-
bunt terminum, quò comparandum: si comparueris, aut hor-
rendâ cum blasphemîâ veritas Evangelij abjuranda, aut eodem
adhuc die emigrandum est. Nemini parcitur: Non agrotorum,
non seniorum, non pauperrimorum habetur ratio. Viri egeni cum

moribus atq; liberis nudi eijciuntur. Si quid in bonis habeas, si
quid rerum immobilium, non tantum spatium conceditur, quantum
ad distractionem requiritur; sed ipsi ad se rapiunt, vendunt,
possessionem arripiunt; Te vero precipitem eijciunt, ut hac ra-
tione sine ulla tua culpa, bonis te spolient tuis, usq; potiantur ipsi.

PHILOMATHES.

Idem & Ego quereor. Quotquot nostrum Lutherana religioni sub-
scripseramus, sine omni misericordia eiectioni sumus. Parentes no-
stri, exacta jam etatis homines, ante vesperscentem diem, cum
suis omnibus, abire iussi sunt: Relinquenda fuere domus, relin-
quenda cetera immobilia omnia. Quin & sub capitis periculo
interdictum fuit, exactoq; juramento precautum, ne quis e no-
bis patriam repeteret: Quod ideo factum arbitror, ne vel de-
bita illa, quibus ibi aliquot cives obstrictos habemus, exigere,
vel bona nostra immobilia divendere, digno pretio, possemus.

THEANDER.

Magnam tyrannidem narras Philomathes: ubi nunc illud e-
migrationis jus, quod Transactio Passaviensis permit-
tit?

PHILOMATHES.

Imo magis hoc dices, si, quae subsequuta fuerint, perceperis.

THEANDER.

Quam illa, quaeso, Philomathes?

PHILOMATHES.

Cum vix paulum a patria nostra abcesseramus, flentes & ge-
mentes; ecce, ex insidijs in nos fit impetus a quibusdam sub-
ordinatis Equitibus, a quibus rebus omnibus nostris spoliati, vix
nudi tandem, ac verberibus probe onusti, dimittimur. Quo quid-
dem nequissimo violentiae genere, eò inopia & coestatis redacti su-
mus,

mus,

mus, ut per loca diversa dispersi, emendicatis elemosynis, vivere cogamur.

THEANDER,

Miseras mihi narras maximas, studiose ornatissime; verum confide DEO: Is, quicquid passus es damni, largiter olim restituet. Tu, Philomuse, quid ais? quæ te exercuit sors, quisve eiecit casus?

PHILOMUSUS.

Verbis id quidem, Vir Reverende, satis exprimi nequit. Horret animus tam atrociam vel linguâ, vel memoriâ iterare. Non solum in exilium ejeti, bonisq; omnibus exuti parentes sunt mei, sed supremo etiam capitis supplicio affecti. Vix fugâ Ego elapsus, pedibus hisce, irrepidanti anima salutem quaesivi. Unde longè mea, quàm horum, conditio est miserior.

THEOPHILUS.

Quod tandem ob delictum, Philomuse, tam dira passi estis.

PHILOMUSUS.

Ob nullum planè, cujus rei testem conscientiam appello meam: Effictum Rebellionis crimen & laesa Majestatis obiectum fuit; quod parentum meorum operâ, infelices olim usi fuissent Directores, quodq; illi patruelis mei (iam numero civium cœlestium adscripti) causam in puncto religionis, quamvis verissima, egissent. Id quoq; accessit, quod nemo consanguineorum meorum patrios suos lares retinuerit, apud quem tuto latere potuissem. Verum unicum id me consolatur, quod illi in terrâ hac fuerint, cœlesti in patriâ nunquam futuri sint exules.

THEOPHILUS.

Sine gemitu quidem ego illam lanienam recordari non possum; sed ubi hæcenus vixisti?

PHILO.

PHILOMUSUS.

IN locis varijs. Nulli enim urbi vitam tuam committere potui:
 Et licet extrema ead me compulerit necessitas, ut panis ostiatim
 quærendus ab initiò fuerit, attamen, ob multitudinem falsò exili-
 um prædentium, itemq; ob impudentiam aliorum mendicorū,
 à nonnullis ludibriò habitus, à nonnullis etiam admonitus fui, ne,
 cum honestius vitam sustentare possem, tanta turpitudinis nota
 obnoxium me redderem. Itaq; cum ingens studiorum ardor ad
 Musarum cultum me revocaret, pedagogiam quãdam in me
 suscepti, quò instituendis pueris victum mihi Et amictum compa-
 rarem: verum cum nefanda avaritia, Et plusquam sordida ho-
 spitis mei tenacitas paulò post meò me nidulò expulisset, diversis-
 simis hætenus in regionibus, comparandi victus causã, oberravi.
 Quo, quidem diuturnò in errore nihil non malorum perpeffus sum:
 consolatus tamen sum hosce meos labores jucundissimis multarū
 rerum lustrationibus, quibus caruisse alioquin mihi fuisset longè
 gravissimum. Habetis, Viri excellentissimi, brevè errorum ac
 miseriarum mearum compendium: vos, quaso, bonò consiliò Et sub-
 sidiò succurrite.

THEANDER.

Miseret arumnarum vestrarum, Viri optimi, pigetq; aded ne-
 quissemi huius seculi, quod prætextu religionis tanta pallia-
 re audeat scelera. Video iam illa adesse tempora, quæ Servator
 noster prædixit, fore, ut alienos nos faciant à synagogis. Quic-
 quid tamen sit, officiosè rogamus, ut huc nobiscum intrare non
 recusetis: videtis instare vesperam, Et cænandi tempus: Nobis-
 cum cænabitis. CONSTANTIUS Martyr.

Nihil tale officia merentur nostra.

THEOPHILUS.

Nihil hoc ad rem: sine te exorariet.

CONSTANTIUS Martyr.

Parebitur.

Finis Actus tertij.

ACTUS

Actus 4. Argumentum.

Weil Deutschland vnterdrückt / durch arge List vnd
Macht /
Vnd nun schier / leyder / ist in Dienstbahrkeit gebracht ;
Da giebet sich bald an dz Münch- vnd Pfaffgeschmeiß /
Gedenckt zu schmieden jetzt / weils Eisen ist noch heiß /
Der Jesuiter Geist ruht nicht in solchen Spiel /
Der AntiChrist der Babst sendet des Ordens viel
Bald in daß Deutsche Land / die frewen sich so sehr /
Als wenn die Sache schon klar vnd gewonnen wer.
Aber ein weiser Mann sie gar ein anders lehrt /
Darumb sich den die Frewd bald in groß Leyd verkehrt.
Vnter deß zu Gott rufft die Kirche hoch betrübt /
Welcher von Gott gesandt ein schöne Antwort giebt
Der Engel Gabriel / Gott's Fürst vnd starcker Held /
Der von ihm wird gesandt ein Bott in diese Welt /
Dafür sie Gott sehr danckt / die Schwermuth fallen lest /
Bittet weiter omb Gnad vnd trawt der Zusag fest.
Seht / seht / ein Pater kömpt / Ihr Herren mercket recht /
Was doch guts neues bringt dieser arge Schalckstnecht.

ACTUS QUARTI DELIBERATIO PRIMA, In Quâ Jesuita loquitur.

Ut feliciter nostra hactenus successerunt consilia! ut ad volun-
tatem fluxere res omnes! felicior fuit successus, quam vel
sperare ab initiô poteramus. Tantum scilicet refert, consilio
rem geras & astu, an vi manifestâ! Heresis Lutherana o-
mnes ferinè Imperij angulos pervaserat, tantumq; collegerat vi-
rium,

rium, ut nullò externò robore devinci posse videretur. Nullus enim hostis ipsi sese opponere; nemo apertò Marte illam laceffere ausus fuit: Verùm quod armis hæcenus & apertò Marte fieri non potuit, id dolis jam & versutis consilijs effectum est, quod, quo pacto factum fuerit, hic animi causâ recensere lubet. Nihil tam facit ad subvertenda imperia, & debilitandas potentum vires, quàm intestina discordia, seditiones, & bella civilia. Intestina quippe odia sunt fœcundissima omnis tumultûs, seditionis, bellorumq; omnium & discordiarum semina. Bellorum itaq; & discordiarum semina inter Lutheranos, de nostrò consiliò, sparsa sunt plurima: Verùm ita tectè & insidiosè, ut à paucissimis hæc fraus sentiri potuerit. Quod quidem factu fuit facillimum, hisce hæreticorum moribus, qui, cum voluptatibus totos se dedant, & plusquam Epicureæ securitati, pessimis corrupti exemplis, indulgeant, ita efferantur, ut, quod honestum, turpe; quod turpe est, honestum iudicent, omnemq; aspernantes pietatem, ad nullum non scelerum genus prolabantur. Hinc, scissis in partes hæreticis, exortas discordiarum flammis magnâ arte atq; industriâ (longè interim aliud quid præ nobis ferentes) aluimus & auximus; erga hos amicitiam, contra illos hostile odium assumulando. Exarsere itaq; tandem hæc flamma, nobis, consiliorum nostrorum quasi follibus, rem strenuè promoventibus, in ingens incendium, quod nostrates, ne restinguerent, quantâ potuimus diligentia, præcavimus, certò id nobis persuasum habentes, hæreticos rectius oppugnari & expugnari non posse, quam per hæreticos. Successit hæc fraus egregiè. Vidimus enim Hæreticos fraterni amoris & charitatis Christianæ immemores, vilis lucelli causâ, in mutua hæcenus desevÿsse viscera; Vidimus à Principibus subjecta oppida hostiliter oppugnata, Principesq; ab iisdem graviter afflictos: Vidimus à Principibus Principes, à Regibus Reges discordantes, hostilibus sese invicem armis attrivisse. Vidimus complures inter Lutheranos Hæreticos ita atheos, ita impios & salutis suæ prodigos,

gos,

gos, ut, acceptâ pecuniâ, Religionem & Patriam prodere, atq; contra fidei suæ socios arma induere non dubitarent: Vidimus hæc omnia cum singulari voluptatis sensu, atq; in sinu nostrò risimus. Proindè id nostrum fuit consilium, alenda esse hæc dissidia varijs munerum corruptelis, hominesq; privati lucri cupidos eò impellendos esse, ut consilijs suis intentionem nostram adsutarent, ut magnates suos videntes cecos, prudentes stultos efficerent, usq; persuaderent, nihil mali eis à nobis metuendum esse: Licet interim alios oppugnari, alios proscribi, alios planè enecari viderent. Admissum fuit consilium non solum, sed tantò etiam cum fructu in effectum deductum est, ut fraudulentis & ambiguis promissionibus, cæcis terroribus & minis, partim alienis, partim nostris, maxima jam Germaniæ pars in manibus sit nostris. Ab Alpibus enim usq; ad extremum mare omnia à nostrò infessa milite tenentur. Id unicum restare videtur, ut vel tandem aliquando Tridentini Concilij decretum executioni mandetur, & maledicta illa Pacificatio seu Transactio Passaviensis, ad quam Hæretici, tanquam ad sacram Ancoram, in hoc agone constituti, confugiunt, planè è medio tollatur. Nunc, nunc profectò è re nostrâ est maximè, ut juxta Tridentini Concilij decretum omnes, Lutherane hæresi addictos, igni & ferro, funditus extirpemus; nostram contra Religionem, verè catholicam, ubiq; Lutheranis excisis, disseminemus. Id enim requirit Romana & verè Catholica Ecclesiæ majestas, atq; sanctissimi Christi vicarij veneranda autoritas. Suadent id quoq; omnia sanctissimorum patrum, imprimis, qui à Jesu nomen habent, probatissima consilia. Quantum deniq; hinc utilitatum cumulus ad Romanam Ecclesiam rediturus sit, hinc ut multis enarrem, supervacaneum duco. Verùm ecquidem è societate nostrâ fratrem hinc properare video? Miror unde veniat, & quid ita properet: subsistam hinc, ut, quid velit, cognoscam.

ACTUS QVARTI

DELIBERATIO SECUNDA,

In Quâ

Alius Jesuita cum præcedente colloquitur,

Alter Jesuita.

*S*alva sis Germania, quam post tot annos redux in patriam re-
florescentem intueor: Salva sis: Ut lator, quod te, tot nefan-
dis Heresibus hætenus afflictam, liberari videam! Spero futu-
rum, ut in posteram nostra sis, sedesq; nobis præbeas jucundissi-
mas. Audio enim viperarum illam progeniem, quam hætenus
magnè cum tuò malò aluisti, paulatim expurgari, & genti no-
stra patefieri aditum. Quare magnum nostri ordinis hominum
numerum ex varijs Italia collegijs & monasterijs contraxi, quib-
us evacuata per Germaniam loca repleri possint. Spero negoti-
um feliciter successurum.

Prior Jesuita.

*V*Ab de re præsentis loquitur! Attoquar hominem. Salve, Reve-
rende Domine pater, salve; adventus tuus mihi planè inex-
spectatus.

Alter Jesuita.

*S*alve & tu, pater venerande: Aspectus tui mihi longè jucun-
dissimus est; Gratulor mihi, quod in eum inciderim virum,
ex quò de præsentis rerum statu sufficienter edoceri possim.

Prior Jesuita.

*N*on quidem multum de me promittere habeo: Quicquid ta-
men in te à me proficisci poterit, id exequar lubentissimè.
Verùm unde venis?

Alter

Alter Jesuita.

EX Italiâ, & Româ quidem. Fama enim ibi increbruit, opus Reformationis in Germaniâ fervere maximè, & deesse nostrî ordinis homines, quibus loca vacantia compleri possint. Pontificis itaq; maximi instructus Diplomate, huc venio, non exiguum nostrî sodalitÿ gregem mecum trahens, ut labores vestros in Germaniâ tum re, tum consiliò adjutemus. Ex te perquàm scire velim, quo pacto res se in Germaniâ habeant, & an ita prosperi ac felices negotÿ nostrî per Germaniam sint successus, uti per Italiâ predicantur. Accipe hoc Diploma, quo Sanctiss. Pater Urbanus VIII. Pontifex maximus nos instruxit, atq; eò perlectò, quid in rem nostram esse putes, consule in medium.

Prior Jesuita.

Acceptum Diploma reverenter exosculetur, inspiciat, lectionem assimulet, atq; dehinc sic loquatur.

Maximè lator, Reverende Domine frater, quod sanctissimus Christi vicarius, tantò studiò pro Romana Catholica Ecclesia salute excubet. Faxit sanctissima Maria virgo, cateriq; Divi & Diva omnes, ut consilia nostra, quæ per tot annos agimus, felicem sortiantur exitum. Rem ipsam quod attinet, quæ apud vos in Italiâ fama sparsa est, vobis non imposuit. Consiliÿ nostris eò res perducta est, ut, quin, quod Tridenti à Sanctis patribus olim decretum est, quodq; tot nostra hætenus suspiria exoptarunt, in actum deduci possit, nulli dubitemus: Distraximus precipua Hæreticorum capita, & multa discordiarum semina sparsimus. Fallacibus promissis ipsis persuasimus, ut, licet passim sua professionis homines vel enecari, vel exiliò multari videant, contra omnem tamen rationem credant, non peti religionem, sed quosdam, nescio quos, imperio rebelles. Quâ quidem nostrâ arte effectum est, ut potissima Hæreticorum pars in nostrâ jam sit potestate. Nulla enim regio, nulla provincia est,

23

quam

quam noster non occupaverit miles. Nunc itaq; id damus operam, ut, qui supersunt Hæretici principes, quosq; ad Ecclesia Catholica obedientiam revocentur, aut, si nolint, compellantur. Initium fecimus à bonis Ecclesiasticis, illisq; Episcopatibus, qui post Pacificationem Passaviensem in hæresin prolapsi sunt, quò sic ab his seculares principes seiungeremus, quod sanè per eorum incogitantiam egregiè successit. Omnes præterea secularium principum ditiones, à simulatis externorum bellorum periculis, armatò milite complevimus, ut, si commovere se maximè velint, non tamen possint. In manibus nostris sunt, Palatinatus, Suevia, Alsatia, Franconia, Hassia, Thuringia, Silesia, VVestphalia, Saxonia, tota Marchia, Pomerania, Mechelburgia, & alia regiones plures. Recuperavimus plurimos Episcopatus, Magdeburgensem, Bremensem, Mindensem & alios. Itaq; nihil aliud iam superesse arbitror, quam ut illos etiam, qui se Pacificationis Passaviensis beneficiò tutos esse, solidè sed stolidè credunt, aggrediamur & subigamus. Quod si effectum dederimus, fiet rursus unum ovile & unus pastor, quod iam olim exoptavimus.

Alter Jesuita.

Quantò me cumulas gaudiò, frater carissime! Quàm lætor, quod huc me contulerim! Confido enim, fore, ut, ejectis Hæreticis, nos in eorum locum succedamus. Verùm Roma sinister quispiam rumor sparsus est, quosdam hæreticos principes in eudendâ novâ Unione laborare, quò, si vis tentetur, vi illa repelli possit: Expone sodes, quid veri subsit, quidq; hac de conspiratione tibi sit animi.

Prior Jesuita.

Non planè nihil est, frater, quod quæris, si inanes nonnullorum conatus spectes; sed si facultatem efficiendi, visu hæc res magis, quam metu digna est. Infractò jam & incisò omni
Ger-

Germania robore, nonnulli principes & urbes longè dislita, de fœdere agere incipiunt, quod quàm ineptum sit, tecum, quæso, cogita. Sunt diversarum hæresium homines, indeq; maximè discordes. Plurimi, qui eorum intersunt comitijs, toti nostri sunt, à quibus sanè nihil metuendum. Meditantur defensionem, & nemo tamen nostro sese militi opponere audet. Solos nos Jesuitas culpant stolidè, quæsi verò nobiscum bellum gerendum sit. Ingenti quidem contra nos ardent irâ, & furore quæsi fremunt, sed vana est sine viribus ira. Alter ex alterius marsupio sumtus sibi promittit bellicos. Metuendum quodammodò, si arma induissent; sed nondum sunt in armis; nos contra instructissimum habemus militem. Deniq; si quid eos moliri intellexerimus, literis & mandatis avocatorijs illos compescere, & ab armis retrahere poterimus. Una quippe literæ dehortatoria, quicquid molientur, demoliri poterunt. Nihil proinde hic periculi est. Miseri homines, bis iam capti, nondum se captos intelligunt. Quam stupiditatem falsè deridere ego soleo.

Alter Jesuita.

FELICIA omnia prædicas! sed iter huc intendit, nescio quis: Subsistemus, ut, quid loquatur, intelligamus: videtur enim paulò esse commotior.

ACTUS QUARTI DELIBERATIO TERTIA,

In Quâ

Politicus Pontificius cum Jesuitis colloquens introducitur.

Politicus,

UT Dij, Deaq; superi, inferi omnes perdant Jesuitas nostros, hominum, quos sol aspicit, omnium scelestissimos.

Prior

Prior Jesuita.

Aldin! in nos invehitur homo.

Alter Jesuita.

ID quidem in more positum est nostris Politicis, ut, cum ipsi puidis fungis sint stupidiores, nos tamen criminari & vituperare nunquam desistant.

Politicus.

Ed rem perversis suis consilijs adduxerunt, ut, si vel ipsa Salus juvare velit, non possit. Consilium nostrum fuerat, ut ne unico quidem verbo, vel Religionis, vel Reformationis mentio fieret, antequam omnes hostes prostrati, omnes omnium Principum Hereticorum nervi incisi, omnesque Germania provincia in nostram potestatem redacta essent, quod sic nihil salutare hoc opus amplius impedire, nostrisque Ecclesijs periculum creare posset. Verum, quid illi importunissimi rerum humanarum turbines, salutariumque consiliorum eversores? Non destiterunt, ex preposterò zelo, seu furore potius, viros Principes exstimulare, ut, quae maxime adhuc opus erat occultari & arcana haberi consilia, promulgatis passim de Reformatione literis, proderent. Quod quidem imprudens institutum, ne quid gravius dicam, tanta animorum abalienatio, tantaque suspicionum moles subsequuta est, ut omnes Heretici principes iam bellum clam parent, & nostris conatibus sese opponant. Quod si ita perrexerint, dicto citius illud, quod magna haecenus arte à vobis exstructum est, corruet.

Prior Jesuita.

Congrediamur, frater, ut hanc calumniam diluamus, hominemque totam de re informemus rectius. Videtur enim aliquid inaudivisse de hereticorum principum conciabulo, à quo tantum erit periculi, quantum à lucente sole tenebrarum circa meridiem.

Verum,

Verùm, beus frater, more nostrò, blandiusculè virum compellimus, ne magis irriteamus.

Politicus.

*D*ua huius farinae errores huc ire videntur: Ut digni sunt, excipientur nebulones.

Prior Jesuita

*P*lurimà salute vestram dominationem impertiat Sanctissima DEI genitrix Maria.

Alter Jesuita.

*E*T ego dominationi vestra, à Deo Sanctisq; omnibus pacem & salutem precor perpetuam: Quasumus, ne agrè illa ferat, quod meditationes eius importunè interturbemus alloquib.

Politicus.

*I*Te, quò digni estis cum vestrà salute & pace, pacis & quietis hostes juratissimi, non lubet vestras audire nantias; quales suis probè novi, non opus est indice.

Prior Jesuita.

*B*ona verba, quasumus, vir Clarissime: prater meritum duriusculè à Te excipimur, culpa, à nobis quod ortum sit, nihil est: & quid, quaso, nos humillimi Christi servi, vel in te, vel in ullum mortalium peccavimus aut peccare potuimus? Si quid fortè mali est, nobis illud imputari non debet.

Politicus.

*C*Redat hoc, vos qui non noverit. Id mihi certissimum est, vestrà πολυπραγμοσύνη rem eò adductam, ut ad salutem converteri nequeat. Proditæ sunt nostra consilia omnia: quid moliamur, furor vester perdocuit Hæreticos. Bellum illi parant gravissimum, quod in extrema nos coniciet pericula. Quid opus

R

erat

*ut sic festinanter rem agere? Non tam adhuc oportuit odio-
sam illam de Reformatione questionem, quam vos per impru-
dentes Principes fuititer prodidistis.*

Prior Jesuita.

M*Etuit, Dominatio vestra, ut audio, recentem nonnullorum
Principum conspirationem, verum ab illa nobis periculi ni-
hil est. Si longè validiorem illam, quam vocabant Unionem,
turbavimus, quid non fiet in hac recenter enata conspiratione,
quæ paucorum duntaxat Principum consilijs cuditur? Annon in
primâ herbâ, si advigilaverimus, opprimi poterit. Undè, quæso,
depauperatis Germaniæ Principibus vis ulla ad resistendum spe-
randa fuerit. In nostris contra manibus tota est Germania: Mi-
les nobis est instructissimus & exercitatus: Machinae fulmi-
nales, instrumenta bellica plurima, magna pulveris pyræ copia,
& si quæ alia bellum requirit. Quare, cum jam planè debella-
tum sit, quis non videt, Reformationem esse maturandam.*

Alter Jesuita.

I*dem & ego sentio. Nec enim commoda occasio è manibus a-
mittenda est. Si quid adhuc periculi superest, id sancta Maria,
cujus laus ac gloria hic agitur, amolietur.*

Politicus.

N*ihil vobis periculi superesse videtur, omnium stupidissimi?
Dicitis priorem illam Unionem facili labore fuisse extinctâ:
proinde & hanc extinguere posse: Verum non attenditis, fraudu-
lentis potius consilijs & munerum corruptelis, quam armis id fa-
ctum esse. In impotente milite nostrò confiditis, quia multus est.
Atqui maxima eius pars, in quâ quidem robur inest, ex hereticis
collecta, & non nisi rapinarum & libidinum cupiditate ad bellum
hoc invitata est. Si intelliget de suo quoque ludi coris, annon signa
nostra deseret & duces Hæreticos sequetur? Omnem, dicitis, te-
nemus*

nemus

nemus Germaniam: sed qualem, quaso? annon infensissimam nobis? Inuitis autem canibus, quales fiant venationes nemo non intelligit. Depauperati sunt, pergitis, Principes Germania. Verum magnò cum vestro malò. Pauper qui est, bellò ditari expectit. Nos nostraq; cœnobia, quod non habent, largientur. At debellatum jam dicitis. Vix ego bellum inchoatum puto, metuoq; ne nostrò tandem finiatur exitiò.

Prior Jesuita.

Nimis meticulosus es, mala quæ sunt, excerpis atq; exaggeras, bona prætermittis. Quid, quaso, tentare poterunt mendicissimi illi Reguli, tot discordijs districti! Quo Duce bellum parabunt, contra tot nostros Achilles & Hercules?

Politicus.

Dux ipsis, credite mihi, non deerit. Nihil audivistis de Suecorum Rege?

Prior Jesuita.

Multa quidem: Verum ut nobis videtur, tonitrua ex pelvi. Quid enim miser ille contra tot Reges atq; Principes Germanos molietur? Unde ipsi arma, milites, sumptus? Nugæ. Aliud est in Livonia & Borussia solitudinibus latrocinari, aliud cum Imperatore Romano, cum Rege Hispaniarum, in medietate Germania, decertare: Nec enim ubiq; hæc aqua, quibus ille Neptuni filius, cum nudo & inermi suo milite utatur, dabuntur. Perinde à Sueco nihil periculi est.

Politicus.

Nihil scilicet! Quasi verò parvi momenti res sint, quas Dux fortissimus & prudentissimus in Livoniâ gessit & Borussia! Duos Exercitus validissimos profligavit: Alterum Regium, alterum Cesareanum, ipsamq; Polonia Regem eò perpulit angustiarum, ut se suoq; regno, indignissimas inducias admittere coactus fuerit.

fuerit. Jam si quis secum perpendat, quantum robur sit nationis Polonica, quanta virtus Germani militis, is non sine causa mirabitur, quò pacto tantam belli molem virtus Svecica sustinere potuerit. Atqui hanc vim universam, quanta, quanta fuerit, non solum sustinuit fortiter, sed feliciter etiam profligavit Rex Svecia; Et vos, omnium rerum ignari socij, tam contemptum illum traducere non veremini? Quid? Certorum hominum literis compertum habeo, jamtum illum ingenti cum exercitu invasisse Pomeraniam ac vicinam Marchiam, captisq; locis munissimis, plurimas nostri militis turmas profligasse.

Prior Jesuita.

ID quidem mihi nunquam persuaderi poterat.

Alter Jesuita.

NEc ego.

Politicus ad 1. Jesuitam.

Inspice sodes hasce literas, videbis quot urbes jam occupatae sint, quot Duces profligati.

Prior Jesuita inspiciat literas, lectionem assumet, & interpositis intervallis, certa oppida certosq; Duces clarè nominet: hinc clausas literas politico restituat, atq; indignabundus hæc tubijciat. Recipiat literas suas vestra Dominatio; plura legere nec lubet nec vacat.

Res ita sese habent, ut loquuntur hæc litera, maturè huic malo occurrendum erit. Vestra interim Dominatio nobiscum prandeat: Divertatur, quæso, apud nos, ut plura hac de re colloqui possimus.

Politicus.

Gratias habeo: nec lubet apud vos prandere nec vacat: Fabricam

bricam, in quâ non nisi mala & pernicioſa euduntur conſilia, ingredi mihi Religio eſt. Vos valet.

Prior Jeſuita.

NB, quæſo, veſtra recuſet Dominatio, neve nos dedignetur: ſi quid forte tales ſunt, quales illa nos eſſe ſuſpicatur, nos ab iſtis criminibus longè abſumus.

Politicus.

Quicquid ſit, per occupationes vobis iam morigerari non poſſim: habeo gratias pro benevola invitatione, & ſi quâ in re poterero, veſtris non deero commodis. Valet. Abcat.

Hinc prior Jeſuita ſic pergat.

Abi: hic magnâ cum indignatione, ex quô haut obſcurè colligitur, potius res ſe habere noſtras, quàm dudum opinati ſumus.

Alter Jeſuita.

Imò hereticâ pravitate virum infectum auguror. Tam audacter enim in noſtrum invehitur ordinem, hereticorumque contra vires extollit, ut ex eorum numero ipſum eſſe planè mihi perſuadeam.

Prior Jeſuita.

Hæreticus quidem non eſt; verùm ordini noſtro, ut vulgus Politicorum ſolet, paulò eſt infectior, quòd noſtris conſilijs rem minùs rectè geri putet.

Alter Jeſuita,

Si ita eſt, nondum in portu navigamus, metuoque ego, ne malis avibus, meò cum ſodalitibus, in Germaniam venerim.

Prior Jeſuita.

In omnem partem, ut audio, & tu nimius es: collegium me-

R 3

cum

cum ingrediere nostrum: ibi per otium hac de re conferre poterimus.

Alter Jesuita.

I Pra., seqvar.

ACTUS QUARTI
DELIBERATIO QUARTA,
In Quâ

Ecclesia DEO supplex fit, & peccatorum precatur veniam.

Quæ ego sum, quæ non sum? Ecclesia DEI appellor, annon? Etenim, si Ecclesia sum, cur tantis opprimor malis, tantis crucior afflictionibus: Imò si sum; cuius rei testimonium Sanctus mihi perbibet Spiritus, num tantis sub turbis, tamq̃ immanibus persecutionibus diutiùs superesse poterò? num perpetiendis calamitatibus atq; arumnis par esse valuerò? Heu! Heu! obtexit me Dominus caligine in furore suo: Projecit de cælo in terram decus meum, & non est recordatus scabelli pedum suorum; precipitavit Dominus, & absorbuit, utens inclementiâ suâ omnia speciosa mea; destruxit in furore munitiones meas, & in terram dejecit; polluit locum & sedem meam; confregit in irâ suâ omne cornu meum, avertit retrorsum dexteram suam à facie inimici, & succendit in me quasi ignem flammæ devorantis in gyro. Quasi inimicus tetendit arcum suum, & quasi hostis firmavit dexteram suam & occidit omne, quod pulchrum visum erat in me; effudit quasi ignem indignationem suam. Factus est Dominus veluti inimicus, precipitavit sponsam suam. Precipitavit presidium ejus, dissipavit id, in quò confidebat, & replevit in populò suo humiliatum & humiliatam. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum, oblivioni tradidit

didit Dominus misericordiam suam, & sprevit preces meas invocantis se. Repulit Dominus me accedentem ad se, & maledixit solemnitatibus meis. Tradidit in manus inimici muros turrium meorum. Extuli vocem meam ad Dominum in domo Domini, sicut in die solemnium. Cogitavit Dominus dissipare muros meos, & non avertit manum suam à proditione. Luxerunt antemuralia, & muri pariter dissipati sunt. Defixa sunt in terram porta mea, & contrivit vectes meos, Reges & Principes meos in gentibus. Non est gratia, & deprecationes meae non invenerunt exauditionem à Dominò. Sedi in terrà, conticui, conspersi cinere caput meum, accincta sum cilicijs: abjeci in terram caput meum, & defecerunt pro lacrymis oculi mei. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus, in die ira furoris sui. De excelsò misit ignem in ossibus meis, & erudit me. Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum. Posuit me desolatam, totà die mærore confectam. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus est à me consolator, convertens animam meam, facta sunt filiae meae perditae, quoniam invaluit inimicus. Verùm quid quaeror? quid ita contra Dominum murmuro? cur non contra peccata potius murmuro mea? Ego, ego, & filij ac filiae meae iniquè egimus, & ad iracundiam te Domine provocavimus. Idcirco tu inexorabilis es. Obsecro Domine Deus fortissime, maximè & summè reverende, serva nos, fædus & benignitatem tuam predicantes, amantes te, & observantes praecepta tua: peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus, & declinavimus à mandatis ac judicijs tuis. Avertatur, Jehovah, ira tua, & furor tuus à Germaniâ nostrâ, & à monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, & iniquitates Patrum nostrorum, Germania & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Nunc ergo exaudi Deus orationem & preces meas, & ostende faciem tuam super sanctuarium, quod desertum est.

ACTUS

ACTUS QVARTI

DELIBERATIO QUARTA,

In Quâ

partim Angelus Gabriel ad Ecclesiam loquitur, partim Ecclesia hunc Actum quartum concludit, ex Danielis 9. & Esaia 37. capite.

Angelus GABRIEL.

Ecclesia, Ecclesia, Ecclesia, sponsa DEO longè charissima, noli ita trepidare, noli ita tremere: non spectrum vides, non impurum spiritum, sed Archangelum Domini Gabrielem. Ecce prodij ego à Dominò, ut te erigam, ut te consoler, ac de statu tuò futurò edoceam. In principio deprecationum tuarum prodijt verbum, ad quod indicandum venio: quia desideratissima DEI amica es. quapropter animadvertite ipsum verbum, & intellige visionem hanc: Non excindet te, inquit Dominus, hostium, quos metuis, furor, nec longius progredietur; sed viâ, quâ venit, eâdem revertetur. Ecce evocavi Ego Unctum meum ab extremis terra partibus; ab Aquilone emisi ipsum: Ille proteret ac conculcabit eos, qui te affligunt; ille confringet jugum, quod humeris tuis impositum est; ille hosti, quem iam metuis, malum, quo te opprimit, conduplicabit: Regiones ejus devastabit, urbes evertet, opima spolia auferet, nec acquiescet prius, quàm tibi pax, tuæq; fidei securitas restituta fuerit, tu persiste in consuetâ pietate, atq; indubitanter futurum confide, quod per me tibi à Deo promittitur.

GABRIELI sic respondet Ecclesia ex
Esaia 39. capite.

Jehovah Exercituum, pater Domini nostri Jesu Christi, lucem
inaccessam qui inhabitas; tu es Deus ille solus omnibus regnis
ser-

terra: Tu fecisti caelum & terram, tu me per filium tuum redemisti, per Spiritum gratiae regenerasti, confirmasti: Inclina Jehovah aurem tuam, & audi; aperi Jehovah oculos tuos & vide: Audi, precor, omnia verba circumfremantium hostium, quibus te blasphemant. Verum est, Jehovah, vastaverunt immanes hi cyclopes omnes Germania regiones: affluerunt me, measque filias: Verum propter delicta multiplicia, quibus tu offensus es. Nunc itaque, Jehovah, fac, ut cognoscant omnia regna terra, te solum esse DEUM & Patrem nostrum: prostriga hostes nostros, ut per Angelum tuum sanctissimum promissisti; & tibi per omnium seculorum tractus sempiternos laudum ac gratiarum hymnos cantabimus.

Actus 5. Argumentum.

Wenn sich der Mensch bekehrt / von Herzen zu Gott wendet /

Bald er von Zorn ablest / vnd seine Hülffe sendet. (lehn /

Weil denn im Deutschen Land viel fromme Christen

Die zu Gott ruffen stets / wil er die Sünd vergeben.

Der Teutschen guter Geist zu ihnen wiederkehret /

Den Teuffel fern abtreibt / vnd ihm den Frevel wehret.

Mit dreien Töchtern schön Germania sich stellt /

Dazu den auch bald kompt ein alter Deutscher Heldt /

Twilson sonst genand / der sich anfanglich wundert /

Wie Deutschland sey so gar vom guten abgesondert :

Gibt gleichwol diesen Raht / das man den tewren

Heldt /

Sebastum aus dem Norden bald führen sol ins Feldt.

Sebastus kömmet an mit Rittern vnd mit Helden.

Dern grosse Tapfferkeit die Welt wird ewig melden.

Macht mit Deutschland ein Bund zu schutz der Chri-

stenheit /

Vnd waget sich darauff ganz manlich in den Streit

Ⓞ

Caro

Carthagenen hört man gehn / mit macht Feldschlangen
klingen /

Musqueten krachen auch / die Nachtigalen singen /
Die Helden fechten wol / des HErrn Kriegesmacht
Schreckt vnd verjagt den Feind / thut eine grosse
Schlacht.

Hierauff wird angestellt dem lieben Gott zu ehren
Triumph vnd Danckesfest / da sich die Frewden mehren.
Ihr wehrten Herrn alle / vnd Frawen tugendsahm /
Ihr Jungfern vnd Geselln / vnd wer sonst beten kan /
Ruffet zu Gott mit ernst / daß er viel Siege gebe /
Dem thewren Held' aus Nordn / ihn biß in Hiimel hebe /
Dz er sein Kirch' durch ihn errett' aus Feindes hand /
Vnd setze wieder in Fried das werthe Vaterlandt.

ACTUS QUINTI
DELIBERATIO PRIMA,

In Quâ

Bonus Germaniæ Genius deliberans
introducitur.

V*el tandem aliquando, post tot annorum exilium, in pa-
triam revertor! quam lator, quod mihi Germaniam, me
Germania restitutum, videam! Dolebam enim ac vehe-
menter angebar, quum viderem Germanos meos, qui in
eâdem causâ, in quâ multe alie gentes, fuissent, non in eâdem
esse fortunâ; nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam,
versari Italos, Gallos, Hispanos, populosq; alios plures in suò ve-
teri curriculò ab omni malorum contagione immunes, Germanis,
avitarum virtutum strenuis sectatoribus, à tanta felicitatis com-
munitate distractis. Quin etiam omnis vitæ usura mihi gravis
vide-*

videbatur, quod non cum ijs conversari amplius licebat, quos amarem tenerrime. Ergo nunc, Germaniam in integrum restitua, & mihi pristina vite mea consuetudinem interclusam divina bonitas aperuit, & omnibus bonis Angelis, de omni virtutum studio in Germaniam resuscitando, quasi signum aliquod sustulit. Intellectum est enim mihi in multis, me Germania reddu, extinctis praesertim omnium offensionum bellorumq, civilium incendijs, pristinam auctoritatem hujus gentis dignitatemq, Christiana Republica, tuo, Deus ter optime maxime, annuente numine, fore amplissimam. Quare ingredior Ego, ut, divinitus jussus sum, denud Germaniam, speroq, fore, ut in posterum sedes hic mihi sit firma perpetuaq. Excitavit enim Jehovah Heroem omni expectatione majorem, qui juncta sibi meliori Germanica nobilitatis parte, quicquid tyrannicum, barbaricum, vitiosum ac irreligiosum in laudatissimam hanc provinciam irrepsit, funditus extirpabit, exterminabitq. Ipse jam jam cum exercitu, non praedonum, non latronum, sed fortissimorum, sed instructissimorum militum, aderit. Non desunt illi instrumenta bellica, machinae, tormenta; globi, non auxilia, classes & commeatus; sed ingentem harum rerum copiam secum advehit, quibus eos, quorum jugum haecenus colla vestra pressit, Germani, expellet, prosternet, vosq, in tutum collocabit. Vos itaq, Germani Principes ac populi, debita cum animi gratitudine vestrae libertatis vindicem excipite. Non est, quod hostile quid ab ipso metuat, aut arma armis opponatis. Non enim venit, ut vestram infringat immunitatem, sed ut infractam ac ereptam restituat, a DEO missus est. Ita namq, in sacratissimo almae Triados concilio decretum est, ita fata volunt, ut mala ac iniurias vobis illatas ulciscatur, inq, authores ipsos, a quibus promanarunt, retrudat. Plaudite & gratam mente agnoscite maximum hoc Dei omnipotentis beneficium: nolite dubitare vestras ejus exercitui adungere vires. Est enim religiosus, pius, & orthodoxus Princeps, scelerum vindex

acerrimus, virtutum remunerator munificentissimus, Deo omni-
potenti gratissimus, ex cuius profectio adventu & salute non mi-
nor ad vos omnes, quam ad ipsum, ventura est letitia. Et
quis, queso, illò est aut nobilitate, aut probitate, aut optima-
rum artium studio, aut clementiâ, aut ullò genere laudis presti-
tior. Nullius certè tantum est flumen ingenij, nulla diendi aut
scribendi tanta vis, tantaq; copia, quæ, non dicam exornare,
sed enarrare eius res gestas possit. Verùm hoc affirmo, & in ve-
strâ dico presentia, licet res ante ab eò gestas ita magnas esse fa-
tear, ut eas vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, nul-
lam tamen in his esse laudem ampliozem, quam eam, quam hoc
in bello consecutus est, assero. Etenim si aliorum quodq; Impera-
rum, exterarumq; gentium res gestas respicio, egregias quidem
illas ac speciosas videri fateor, attamen partim adipiscendi alie-
ni imperij, partim inanis glorie causâ plerumq; susceptas esse ex-
peditiones patet. Verùm enimverò hinc non amplificandi imperij,
quod satis amplum latumq; possidet; aut opprimenda aliena li-
bertatis gratiâ venit, sed ut vestra, Germani, adaugeat com-
moda, libertatem vobis restituat, Antichristi satellites è terris
vestris exterminet, gloriam DEI promoveat, pacemq; Ger-
manie reddat optatissimam. Quod quidem opus nunquam satis
deprecatum laudibus, divinâ annuente gratiâ, prosperis succes-
sibus ad finem perducet felicissimum. Quapropter, ô Germani,
hunc Heroem omni benevolentia genere complectimini, omni-
busq; studiis prosequimini. Considerate, queso, diligentius, quan-
tum è re vestrà futurus sit eius adventus, cogitate, quæ mala
perpetienda fuissent, nisi Jehovah illum misisset; sub perpetuò in-
dignissima servitutis iugo laborandum fuisset, non libertatis, non
ullâ immunitatis ratione habita, durissima quæq; supra, adulte-
ria, incendia, exilia, proscriptioes, rapina, dirptiones, civi-
tatum everisiones, truculentæ caedes, immanes torturae perferen-
dæ fuissent, & quod majus est, de vera religionis cultu actum
fuisset

fuisse planissime. Gaudete itaq; & cantate Domino canticum
novum, quod tam clementer vos respexerit, Heroemq; vobis mise-
rit, qui, Divina auxiliante gratia, ex hisce periculis omnibus vos
sit erepturus, cuius Heroico proposito, quamvis hostes se opposue-
rint, nullo tamen modo infortunium sint effugituri. Cum enim
a DEO mittatur, nil contra ipsum vis ulla proficiet. Ergo ma-
gno cum plausu ipsum, ceu Germania liberatorem, excipite. Me
quod attinet, nunc abeo, ut, quae post discessum meum in exili-
um abire conspexistis numina, in Germaniam reducam.

ACTUS QUINTI

DELIBERATIO SECUNDA,

In Quâ

Germania loquitur.

Quod te, Venerande Pater, vosq;, Filia lectissime, huc con-
vocari jusserim, ne, quales, agrè feratis, aut secus, quam
ego intelligi volo, interpretemini. Novistis, quam varijs hadi-
nus malis, quamq; noxijs intestinorum dissidiorum lancinatio-
bus, misera Ego, laboraverim, quantum turbis ac tumultibus ob-
ruta fuerim. Nihil enim sani consilij in memet mihi comparu-
it. Omnia mea, concitatio quasi lapsu ad interitum ruere ac pra-
cipitari visa sunt. Fecit tandem hac tanta calamitas, ut, cum,
malis undiq; urgentibus, nullum domesticum inveniretur re-
medium, ad vicinorum subsidia, obtinenda pacis ac libertatis
causâ, omnino mihi confugiendum putarem. Ac successit qui-
dem, DEO sit laus, non malè hoc meum consilium. Postquam
enim incomparabilis illius Herois, quem Arctoum coelum de-
misisse videtur, imploravi auxilium, non solum amicissime illud
mihi promissum, sed, divina annuente gratiâ, ita etiam presti-
tum est, ut, cunctis vastatoribus ac praeonibus istis, plurimas
urbes

urbes receperim, jamq̄ sperem, fore, ut propediem Pax & Libertas mihi restituantur. Hoc ipso die, hoc in loco colloquium decretum est. Quare, ne sola eius hic adventum expectarem, te, Venerande Pater, atq; vos, Filia charissima, huc evocandas curavi, ut vestro de consilio omnia peragerem. Vos, quod comparere voluistis, fecistis quod mihi gratum; Rogoq; ego, ut in medium consulere, meq; hesitantem vestris consilijs instruere velitis.

ACTUS QVINTI DELIBERATIO TERTIA, In Quâ

Tuiscon, Germania, & tres ejusdem filia
deliberantes introducuntur.

Qualem ego te, Germania, & quibus in locis nunc conspicio? Quae tibi lingua? quis habitus, qui mores, quae sedes & habitatio? Linguam profecto, quae uteris, vix ac ne vix quidem intelligo, ita à vetustâ illâ, quam à me didicisti, diversa, ita adscititijs exterarum gentium voculis, nil nisi mollitiem redolentibus, corrupta; ita ad effœminatum animi habitum, expunctâ veteri gravitate & simplicitate, traducta est. Habitum tuum quod attinet, nequaquam is Germanicus, Germanave gravitate dignus est, sed planè monstruosus, & ex variarum nationum vanissimâ consuetudine quasi de industria confusus. Mores nihil germanae simplicitatis, nihil veteris gravitatis obtinent; sed lenocinijs, & scurrilibus gestibus atq; ineptijs pleni sunt. Ubi virtutes illa avita? Ubi simplicitas, candor, fides, constantia, fortitudo, justitia, temperantia? ubi? vix umbram harum virtutum omnium in te conspicio! Ubi tandem habitas? quis per tot maria, ex Asiâ, primavâ tuâ patriâ, ubi tanta omnium rerum
copia

ecopia est, in hunc sterilem Europa angulum te traduxit. Quid, quæso, causa est, quod tu ita loco, & locus ita tibi mutatus fuerit.

Germania.

Pudet, pigetque horum omnium, Venerande Pater, in me quæ reprehendis; Nec, tibi quid respondeam, habeo. Stulticia mea, Maiorumque meorum improbitas in causa est, quæ à vetustæ simplicitatis studio prolapsa, varias vitiorum voluptatumque illiccebras circumspicere cepit: Quare & è veteri illâ patriâ meâ, partim expulsa, partim temerè sum egressa, & pessimis iniquitata moribus, talis evasi tandem, qualem, pro dolor! iam vides. Tu, quæso, Venerande Pater, ne aspernare filiam degenerem, sed bellò nunc civili oppressam, & varijs perplexitatibus intricatam, tuis expedi consilijs. Emendabo, te adiutore, malos hosce mores, & pristina virtuti me totam conserrabo.

Prima Germaniæ filia.

Quod mater promittit, Venerande Pater, idem & nos sanctè pollicemur. Si quid erroris hæcenus, peccativè admissum est, humana fragilitati id ut adscribatur, submisse rogamus: In posterum meliores erimus. Tu, Venerande Pater, in tantis nostris angustijs & afflictionibus, prudenti tuò nobis adsis consilio, succurras auxiliò. Nos posthac, ne quid vel tuâ maiestate, vel nostrò genere indignum in nos admittamus, stuciosè precavebimus.

Secunda Germaniæ filia.

Uage, Pater carissime, & omni obsequij ac venerationis cultu perpetim prosequende, nec de emendatione nostrâ dubita. Nosmetipsas jam stulticia ac temeritatis nostra piget pudetque. Quare cum pro magnò peccatò paululum supplicij satis sit patri; cumque ingenua confessio, & constans facti emendatio, certissimum veræ pœnitentiæ argumentum sit, missam, quæso, fac conceptam

ceptam indignationem, & pœnitentes filias, in gratiam receptas, pristino amore & favore complectere ac fove. Moveat te hæc tanta nostra calamitas, quam per tot annos patimur: moveant te hæc nostra lacryma, quas serius extrudit dolor: moveat tandem te summa tua benignitas, ad quam veluti ad sacram ancoram confugimus. Plura præ lacrymis & animi angore proferre non possum: Tu pater paternum resume animum, ac miserere filiarum.

Tertia Germaniæ filia.

Sine te exorariæ Pater, & quod imprudens nostra corrupit pravitas, tu senili tuâ sapientiâ ad salutem converte. Licet exterior noster habitus, & novus loquendi modus, tibi suspectus esse possit, nondum tamen desimus esse Germana; nec liberi nostri ita vitijs corrupti sunt, ut emendari nequeant. Si quid mandaveris; si quam Emendationis legem præscripseris, habebis nos tibi obsequentissimas. Tu modo hanc culpam nobis condona, & nos in gratiam recipe.

Tuiscon.

Exorari me patior, filia: Facite huc ut veniat Heros ille, quem dicitis, Septentrionalis. Si rectè recordor, & ille noster est filius; verum non ita effœminatus, sicuti vos liberiq; vestri. Animos suorum ille pietatis & virtutum studijs, à tenera statim ætate, imbuit. Hinc adultos ad arma tractanda & virilia agenda assuefacit, non ignaviâ, luxuriâ, alijsq; vitiorum illecebris eos corrumpi sinit. Undè per illas ipsas res, quas vos ex inani fastu aspernamini, ad maxima laudum decora emergit.

Germania.

Places, Venerande Pater; Agnosco crimen; nec sine culpâ meâ in me hæc dici fateor. Tu modo, ut promisisti, cum Sebasto, (hoc enim Heroi isti nomen est) agito: Jam-jam aderit: Emisi enim, ad colloquium illum qui invitarent. Vos, Ellie, domum abite, & epulas, nobis, solemnes, parate.

ACTUS

ACTUS QVINTI

DELIBERATIO QUARTA,

In Quâ

SEBASTUS, THEODOSIUS, POLTBULUS, POLIAN-
DER, AXIOPISTANDER, TUISCON ET GERMA-
nia consultantes introducuntur.

SEBASTUS.

AGite, Consiliarij fidelissimi, adeste, res magna agitur; ab oppressâ vicinâ Germaniâ, quæ & sanguinis communione, & multis alijs nominibus nobis conjunctissima est, contra nostra fidei hostes, & turbatores pacis publicæ in auxilium evocamur. Exercitu integrò, & tantò quidem, quantò ingens hostium vis sustineri possit, juvari se petit. Quare, cum infiniti ferme sumtus ad hoc bellum requiri videantur, deliberandum erit, quid faciendum; cogitandum erit de pecunijs, usq; amplis, quibus omninò opus est; nam sine his nequaquam potest rite bellum administrari; de frumentò, necessariòq; comæatu; hæc enim nisi quis preparat, vincitur sine ferrò; de armis, de tormentis, de machinis fulminalibus, de gladijs & hastis: cogitandum præterea de pulvere pyriò, de globis, de ligonibus, de securibus, de peditibus, imprimis exercitatis, à quibus omnia pendent, quibus quæ prævalet, eius legibus omnes necessariò obtemperant; de equis item, & equitibus optimis, quibus nulla his temporibus possessio utilior atq; oportunior esse potest. Nam & præcurrere, & speculari, & brevissimò tempore renunciare, in belio maxime salutare est, quæ omnia facile præstabit equus. Cogitandum tandem erit de navibus, maioribus, & minoribus, quibus & miles, & comæatus, & apparatus bellicus advehi possit. Quare consilite in medium, & quid nobis faciendum putetis, mature exponite.

T

THEO-

THEODOSIUS.

Pro Deo, Potentissime Sebaſte, & Sacroſanctâ Religionē, quid non facias. Omnes enim homines potius, quam Deus, hoſtes capiundi, nec tam charum & pretioſum quicquam in rebus humanis eſſe debet, quod quis DEI cauſâ periclitari non debeat. Et cur, quaſo, amplificando honori divino non tribuas, quod à conditore tuo acceperis? Quare, ſi Religionis bellum in Germaniâ eſt, non poteris non, invictiſſime Sebaſte, oppreſſis ſuccurrere, illoſq̃, quos ob ſanctum DEI nomen truculentorum hominum aſſigit iniquitas, ex violentiſſimis eorum manibus eripere. Spe indubiâ hîc fruisci poteris, DEUM, potentiſſimum illum Dominum Sabaoth, Tibi ducem & adiutorem adfuturum, hoſtes in manus tuas traditurum, effecturumq̃, ut omnia feliciffimè ſuccedant. Sub Jehovâ enim auſpicijſ, qui militat, eum nulla hoſtium vis evertere, nulla potentia devincere poteſt. Quare, ô magne Sebaſte, aggredere hoc DEO gratiſſimum negotium. Suscipe patrocinium Eccleſiæ, repelle vim plusquam tyrannicam Antichriſti Romani. Jehovah exercituum Tibi aderit, manusq̃, tuas ad prælium docebit, ut confringas arcus hoſtium Chalybeos, brachijs tuis, ut perſeq̃varis inimicos tuos, ut perimas & conſumas eos: Ut conſumas & frangas eos adeò, ut non exſurgant, ſed cadant ſub pedes tuos, ut conteras eos, tanquam terra pulverem, & ceulatum platearum, comminuas eos, ne contra Te ſtare, & armorum tuorum ſplendorem aſpicere valeant. Ito feliciter, agito fortiter, vincito egregiè.

POLTBULUS.

Quanquam, invictiſſime Sebaſte, immenſi periculi & vix humani conſilij rem futuram proſpicio: Attamen cum & ipſe ſciam, quod pro divini nominis gloria, & pro oppreſſæ Eccleſiæ libertate omnia noſtra impendi debeant, cum Theodoſiò noſtrò plane conſentio, ſtatuoq̃, omnibus modis bellum pro oppreſſis fidei ſocijs.

foeys esse suscipiendum. Rationes autem quare sic sentiam, sunt plurima, quas omnes iam hic recensere mei instituti non est: paucissimas breviter saltem attingam. Ac principio quidem, si Catholicis, quales se vocant, justum & aequum esse videtur, Religionis causam gladio tutari, ac Lutheranos, ultra hominum memoriam in quietâ Exercitij possessione constitutos, vel ad Revocationis barathrum, vel, Proscriptionis miseriam adigere, necesse est, ut quod quisque juris statuit in seipso, hoc etiam statuat in alio. Vides praeterea, invictissime Sebaſte, quod vicini nostri Germani non soli petantur, sed etiam nos, qui haecenus adjacente Germaniâ, ceu muro quodam septi, & ab omni irruptione hostili tuti viximus. Illis itaque in servitutem reductis, irruptio in Arcticas nostras regiones erit facillima. Quid? si populos littorales, & urbes maritimas sub suam redegerint potestatem, maxima ad eorum potentiam fiet accessio, ipsique, successu temporis non solum terrâ, sed mari etiam potentur. Quod si factum fuerit, serò maris amissum dominium querulabimur, cuius jus multò haecenus sanguine acquisivimus, & acquisitum fortiter defendimus. Imò per mare, instructâ, per tot urbes potentissimas, classe, terram nostram oppugnabunt. Et ne quis fortè sibi persuaderi patiatur, id non tentari à Germania hisce oppressoribus, is, quaso, anteaetas, interceptas nonnullas literas, violatum jus gentium, aliâque multa arcana consilia consideret. Porro si littoralis Germania ab hoste infessa & nobis quasi praclusa fuerit, annon, quaso, Arcticae gentes omni mercimoniorum & contractuum jure & communicatione prohibebuntur? Et unde, quaso, si miles conscribendus fuerit, is colligi & conducì poterit, si in Germaniam pedem ponere non licebit? Tandem quid hisce Regionibus à Polonis Hispanisque metuendum sit, quis tam bardus est, ut non intelligat? Quare si omnia belli subsidia contra illos nobis praecidi patiemur, annon ultrò nos ipsis maclandos exhibebimus? Et quis in rebus Politicis tam malè versatus est, ut salutarem illam ma-

ximam non intelligat? Melius est praevenire, quam praeviri.
Quare, bene iuvante DEO, bellum hoc suscipiendum autumo;
sumtus bellici & alia adminicula nobis non deerunt, si conjun-
ctis viribus & animis bellum apparabimus, nec privatam com-
modum spectabimus. Quid? quod ipsi oppressi Germani ultrò in
nostra concedent castra, nosq; pecuniâ, viris & armis iuvabunt.
Taceo, quod ipsum bellum, si quis eò rectè uti sciat, quasi cu-
denda pecuniae fabrica sit, quod satis hætenus eorum exempla,
à quibus Germani opprimuntur, docuerunt. Quòd si itaq; hoste
ejectò, arma cum ipsis & animos coniunxerimus, vel dimidio
sumtuum, quos illi nequiter profundunt, magnum Exercitium a-
lere poterimus. Quare, invictissime Sebaste, celsò & presen-
ti animò bellum hoc sacrum aggredere. DEUS, cuius res hic
agitur, suum tibi deesse auxilium nequaquam patietur.

P O L T A N D E R.

ITa est, invictissime & potentissime Sebaste: opprimitur
in Germaniâ contra omne fas & æquum non solum Ecclesia &
libertas Germanica, sed absolutus etiam dominatus, sub huius bel-
li prætèxtu, quæritur, qui si per nostram incuriam & ignaviam
obtentus fuerit, nos quoq; periclitabimur maximè: Verissimum
enim hic illud:

Tunc tua res agitur, paries quum proximus ardet.
Et metuendum est, ne vicinum incendium nostras quoq; fortu-
nas & opes absumat. Oras hostes iam tenent maritimas, obsident
portus, turbant navigationes, commercia, quæ vicinis germaniæ
maritimæ incolis cum nostris hominibus esse solent, interrumpunt,
multaq; alia comminiscuntur, quæ ad libertatem Germa-
norum opprimendam, & nostram quoq; datâ occasione, oppugnã-
dam facere possint. Invident scilicet nobis imperium maris, om-
niaq; sua consilia ad hunc scopum dirigunt, ut illud nobis eri-
pere, jugum contra imponere, & quicquid iustum, æquum & re-
ligio-

hiosum in nostris regionibus superest, pravissimis exemplis cor-
rumpere possint.

SEBASTUS.

Quod itaq; JEHOVAH Optimus Maximus felix ac faustus,
notiq; Reip. salutare esse iubeat, decernimus bellum contra
Evangelij hostes, & libertatis Germania oppressores; propedi-
emq;, si nihil equi justiq;, post belli denunciationem, ab hosti-
bus obtineri poterit, militem nostrum in littore Germanico ex-
ponemus. DEUS faveat caeptis, & profusum sanguinem in hoste
ulciscatur. Vobis omnibus & singulis gratias habeo, & olim refe-
ram maximas, quod fideli vestrò consilio mihi deesse nolulistis,
hortorq;, ut in posterum eandem fidelitatem mihi probare velitis.
Ego non solum vitam meam cum omnibus meis in hoc bello sacro
periclitabor, sed vos etiam, usq; ad extremum vita spiritum, pro
virili, ut par est, defendam. Tu Axiopistander denuncia Ger-
mania me hic praesentem adesse, eamq; evoca ad placidum col-
loquium.

AXIOPISTANDER.

Flet, Potentissime Sebaſte, quod mandas.
Abeat: hinc reversus sic loquatur.

Jamjam aderit Germania cum Viro quodam verendi aspectus,
etatisq; ultra vulgarem hominum morem provecta: cum mun-
do natum arbitror: ita canescit, ita catus ac prudens est: Tuis-
conem appellant. Numen aliquod esse crederem, nisi praeter u-
num verum DEUM nullum agnoscerem alium.

SEBASTUS.

Optata loqueris: en prodeunt! congregiemur.
(Progrediantur, hinc Sebastus ita loquatur.)

Salve, divine Senex, pater venerande; salve & tu Matrona
dignis-

dignissima, ne, quaso, agrè feratis, nevé in ullam aliam partem, quàm Ego accipi velim, interpretemini, quod Ego terram hanc vestram ingressus, vestrum colloquium expetiverim. Id enim non vos opprimendi, ledendivè; sed juvandi & liberandi animò factum est, nihil hostilè hinc metuendum: opera à me meisq; dabitur sedula, ne presentis conventus colloquyq; unquam vos pœniteat.

Tuiscon, (invitata priùs, ut moris est, Germaniã ad respondendam, illaq; modestè abeunte,) ità respondeat:

Salvus sis & tu, Heros augustissime; Hospes nobis advenis longè exoptatissimus. Agnosco habitum, linguam, ortum, Genus, quæ omnia nobiscum communia habes. Ex eodem, quò nos, Patriarchâ ortus es. Quare non est, quod in hanc terram ingressus, vel petiti colloquy veniam petas. Nos potius gratias agimus Tibi & habemus singulares, quod invitationi nostræ locum relinquere, atq; deliberandi causâ Te huc conferre volueris. Obnixè rogamus, ut cum tuis hîc confideas; breviter, quid Te velimus, exponam.

Confideant; hinc Tuiscon ita pergat:

Tuiscon ego sum, Gentis Tevtonica autor. Pater mihi fuit Gomer, Avus Japethus; ex quò tui etiam maiores oriundi sunt; Hæc est filia mea Germania, quam cum post multorum seculorum decursum inviserem, ingentibus eam tumultibus, seditionibus ac bellis turbatam & oppressam, non sine magnò cordoliò, inveni. Et quanquam omnem adhibui diligentiam, ut amicabili quâdam compositione res transigeretur, ob nonnullorum tamen ferociam nihil obtinui. Quare nihil consultius esse duxi, quàm ut vetustâ origine agnatos populos rursus coniungerem, quò vis vi repelli possit, malorumq; infringantur molitiones. Quoniam itaq; Tu, Sebaste, quem Deus multarum regionum Dominû
con-

constituit, non exigua Gentis nostrae Japhetica portio es, omnibusque virtutum, sapientia, fortitudinis, iustitia, aequitatis & pietatis laudibus nullibi non celebraris, & ad caelum usque extolleris, Te Germanis meis adiutorem, liberatorem ac defensorem constituere volui, certa spe fretus, Te, communis originis memorem, mihi meisque hac in parte non defuturum. Vides enim, quam furenter undique hostes nobis insultent, & quam dira Mars minitetur praelia & incendia. Idcirco hostes ut repellas, illos vi & armis ut persquaris, & quoad fieri poterit, premas, tandemque funditus evertas, etiam atque etiam rogamus. Nostra Tibi auxilia, subsidia & consilia, si qua esse poterunt, non deerunt. Foedus Tecum inibimus contra vim injustam; Tu modo ne gravere pro agnata & vicina gente bellum suscipere.

SEBASTUS.

Non est, Venerande Senex, Tuque Germania multis nominibus mihi suspicienda, non est, quod tam splendoras mihi agere gratias velitis. Ego potius, quod tam eximiam de me spem concipere, meque vestro colloquio dignari volueritis, gratias habeo maximas, idque dabo operam, ut tam honorificam de me conceptam opinionem nequaquam fallam. Quod superest, non me fugit, quam arctum consanguinitatis & amicitiae vinculum inter nos intercedat. Quare si nulla alia causa esset, vel hac sola me commoveret, ut nullum pro Germania periculum subterfugerem. At enim iam si cogito, illam non solum ejusdem mecum esse originis, sed eandem etiam profiteri Religionem, eadem habere sacra, hostes habere eosdem; non sua culpa, sed improborum hominum malitiam in tantas calamitates incidisse, non solum corpus eius, sed animam etiam peti; idem mihi metuentum esse, quod ipsi: non possum non, si vel nemo mortalium me advolet, ceu agnatus, ceu vicinus, ceu Christianus Princeps ipsi laboranti, ultrò auxilium offerre. Proinde hoc vobis persuada-

sua-

suavissimum habete, me nullum vindicanda vestra libertatis causa periculum fugituum, sed id divinò auxiliò effectuum, ut propediem hostes profligentur, pristinusq; Germania splendor restituetur.

Germania.

BENIGNÈ promittis, Heros Divinissime: Verùm ignoras fortè, quàm quæ curari possit. Urbes, Oppida, Pagos, flamma hostis absumpsit: Arces, Castella, aliq; munimenta Martis furor subvertit; Multa hominum millia, ferrò percussa, insepulta jacent: Omnis Legum vigor ac disciplina nervus exspiravit. Exulant Musæ, exulant Horæ, exulant Charites: Quicquid deniq; ad felicem Reip. statum facere potest, id omne exulat. Quare vix desperati huius mali Medicinam sperare possum.

SEBASTUS.

SPEM concipe optimam, GERMANIA; Animus æquus in malo, dimidium est mali. Quod in viribus nostris non est possum, id faciet Deus, cuius potentia non est finis. Non solum, sublatis malis, omnia restituentur in integrum, sed quicquid etiam vitiorum & confusionum irrepserit, id omne, bene iuvante DEO, corrigetur. Militem adduxi, non solum fortissimum, sed etiam Christianissimum. adsunt plura instrumenta bellica, variaq; tormentorum genera, quibus hostis efficacius terrebatur, quàm inani obligatoriarum literarum strepitu. Nihil nunc superest, nisi ut fœdus ineamus.

Germania.

ID quidem fiet domi meæ. Quare amicè rogo, ut cum tuis his-
sæ Consiliarijs cœnam apud me sumere velis: litâ peractâ totum negotium transigetur.

TUISCON.

ID facias, quæso, fortissime Sebaste.

SEBA.

SEBASTUS.

Quamquam sat sit, quod agam, nec alioquin convivandum esse putem, hoste praesente, vestra tamen petitioni nihil denegare possum. Tu Theander, tuque Polybule, sequimini me intro: Tu vero Poliander cum Axiopistandro ad exercitum abito & ad bellum quae faciunt, curato diligenter. Mox nos, peracto foedere, ad vos revertemur.

Primò hic intercinat Chorus Musicus: Hinc multiplicia praelia, varios conflictus & pugnas representet PYROTECHNIA: Atque hac ratione fiat transitus ad conclusionem.

ACTUS QUINTA

DELIBERATIO QUINTA,

In Quâ

Boni nuntij allator LEGATUS Toti
Panegyri finem imponit.

Vicit, vicit Sebastus, Deo sit laus & gloria, ingenti praelio; hostes fudit & magnam stragem edidit: jugum ab humeris nostris dejecit; horrendi illi tormentorum bellicorum boatus armorumque fragores, quos audivistis, hostium animos ita fregerunt, ut, relictis armis & tormentis bellicis, turpi fugâ à praelio sese subduxerint, imò ad unum fermè omnes partim in praelio, partim in fugâ perierint.

Res tota sic se habet. Confluxerat omnis Hostilium Exercituum colluvies in Unum locum, & occupatis munitissimis quibusque per omnem Germaniam Urbibus ac propugnaculis, Ipsum jam cor Verae Ecclesiae & arcis Sioniae, ceu pestiferum & exitiale venenum, in audtâ sevitia ac immanitate oppugnabat: à nemine mortalium vim injustam astinebat, non ab inermi & imbelli aetate ac sexu; non ab Innocentibus, nihilque nisi pacem optantibus ac precantibus, non ab
amicis

amicis & antea benemeritis; sed omnes, qui constans perseverandi
in agnitâ veritate Evangelica propositum pijs animis conceperant,
igni ac ferrô crudelissimè persequeretur. Angebantur ac vehemen-
ter dolebant Christiani Principes, cum viderent, nihil innocentiam,
nihil justissimis precibus, nihil meritorum magnitudine obtineri;
nulli parci etati, sexui, ordini, nulli religioni; fidem promissam &
sanctè juratam videri ac jocos putari pueriles: Cedibus, incendijs,
direptionibus, depopulationibus evastari omnia: Justissimam defen-
sionem, quam ne brutis quidem Natura denegavit, Homines, li-
beris gentibus, fidissimis Germaniæ Statibus, reverenter petitam,
denegari; justè adhibitam criminose, ceu rebellionis nefas, objici; ad
ea vi compelli Liberos homines & Viros Principes, quæ conscien-
tiam vulnerent, saluti officiant; id quæri, ut excisis bonis, mali do-
minentur. subversâ Libertate vitâ, Germani serviant; extinctâ
vera religionis luce, orbis Christianus cacutiat; introductâ ido-
latriâ, verus Dei cultus exterminetur: Hæc, inquam, omnia, cum
Christiani Principes non rectè amplius & obliquè, sed apertè & di-
rectè, pudendâ quâdam impudentiâ, quam prosper rerum succes-
sus indies augebat, in mediâ Germaniâ tentari cernerent, maximè
excruciantur quidem: omnia tamen experiri prius, quam arma
& vim, volebant. Ad preces itaque denuo confugiebant: Supplices
ac venerabundi querulabantur, quiritabantur, per omnia sacra
tumidos ingruentium hostium Duces obtestabantur: Parce-
rent innocentibus, abstinerent à vi injustâ, non turbarent pacem
publicam, jure experirentur, siquid controversiæ esset, à pacatis Pa-
cisque cupidis subditis pacem ne extorrem facerent: fore, ut fiant
omnia quæ salvâ conscientiam fieri possint. Verùm surdis hæc narra-
batur fabula: obtinebatur æqui justique nihil: Illud itentidem occi-
nebatur:

Sic volo sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Quid facerent optimi ac Christianissimi Principes, cum contra jus
Naturæ, contra religiosas promissiones, contra omnia pacta se premi
viderent:

viderent: cum non tam vitam suam, bonaque corporalia, quam ipsam
animam salutem ac veritatem Evangelicam peti prospicerent? De-
speratione adacti, illud medium arripiunt, quod Natura omnia ani-
malia perdocuit, & ne inulti moriantur, vim vi armis justissimis
repellere conantur. Quod simulatque hostis animadvertit, ex furo-
re in rabiem actus, ut hunc qualemcumque conatum in primam quassam
herbam opprimat, nullum sevitiae ac crudelitatis genus praetermittit.
Funduntur passim Defensionis causam collectae militum turmulae, &
atrocissima quaeque non dilabentibus denuntiantur supplicia. Ad-
venerat commodum Magnus Sebastus: Is non poterat non misero-
rum misereri, & iniqvè oppressis succurrere. Offert itaque auxilium,
offert militem, offert vitam, offert sua omnia: Magnò cum plausu &
gratià excipitur: Iungitur fœdus pro Libertatis & Religionis de-
fensione: Fit compromissio in mutuum auxilium: Iunguntur exer-
citus: obviam itur hosti: Cooritur pugna acerrima: Cadunt multa
pugnatorum millia: Victoria, Divinam providentiam sic disponente,
cedit Magno Sebasto, reliquisque Christiani orbis Principibus.
Hostes in fugam coniecti, deserunt ordines, abjiciunt arma, relin-
quunt omnem apparatus bellicum, & quâ datam via, salvanda vi-
ta causam effugiunt. Hinc celsò animò & imperterrito pectore progres-
sus Magnus Sebastus amplissimas quasque Regiones, validissi-
masque ac fortissimas gentes devicit, munitissimas urbes occupavit,
hostium reliquias contrivit, debellatisque per omnem Germaniam
Christiani nominis persecutoribus, a vitam libertatem, exoptatam
pacem justitiamque restituit, effecitque, ut per universum Christianum
orbem, in posterum de tranquillitate & felici statu spes sit optima.
Ego nunc ad Germaniam, Thuisconemque rectè contendo, ut
hisce ex literis rem omnem cognoscant, & instituta congratulatio-
ne, per omnes passim regiones. Deo laudem & gratiarum hymnos
decantent, reduciisque ex bello victori, ceu Triumphatori felici ac-
pio, erectis arcubus triumphalibus tripudiantes applaudant. Jam
jam enim hic aderit solenni cum pompâ, captivisque hostibus secum
ductis,

ductis, triumphum de ijs aget amplissimum. Vos parum per, huc dum redeat, hic expectate: Videbitis non sine magnò voluptatis sensu trahi catenatos Duces: Videbitis omne vitiorum genus, omnia nociva numina, quæ Germaniam hæctenus afflixerunt; Bacchum, Venerem, Cupidinem, Comum, Furias, Ipsum Martem, Bellonam, ipsumq; Alastorem vinculis constrictos abduci; virtutes contrà, Charites, Horas, Musas, & si quæ alia bona numina è Germaniâ in exilium ejecta fuere, magnò cum plausu in eandem reduci Vos valete & Deo interim gratias agite. Ego, quo jussus sum ire, pergo.

HINC.

Triumphum & solennem gratulationem representent partim Pyrotechnia Technemata, partim Personæ Totius Panegyrius simul introductæ, ita, ut cacodæmones, Furia, Vitia, & alia scæva numina captiva & concatenata trahantur à bonis Angelis & Virtutibus Victoricibus; partim deniq; spirituales & Eucharistici Hymni; Te Deum laudamus, & alij; piâ cum devotione, Musica figurali, decantati.

Μόνω Θεῷ Φιλανθρώπων δόξα.

FINIS.



ORA-

ORATIO FUNEBRIS,

DE

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. GUSTAVI
ADOLPHI MAGNI,

Svecorum, Gothorum ac Vanda-
lorum Regis invictissimi, Germanicæ Libertatis &
Veritatis Evangelicæ Vindicis & Assertoris acerrimi, luctuo-
sissimô, beatissimô tamen ac gloriosissimô obitu; qui 8 Idus
Novemb. In cruentissimô ad Luciam, Misniæ oppidum, præ-
liô, pro verâ Ecclesiâ & Germanorum Libertate, for-
tissimè dimicans, victor pijsimè
occubuit;

*Præsentibus nonnullis Ducalibus Personis, compluribusq;
alijs viris amplissimis, in Ducali Lyceô Stetinensi,
6. Nonas Martias, habita,*

A

M. MARTINO LEUSCHNERO,
Ducalis Gymnasij ibidem Rectore
& Philos. Prof.



STETINI, Typis DAVIDIS RHETII, Anno 1633.

ORATIONE

DE

REPUBLICA

LIBERTATIS

ADOLPHI MAGNI

IN

REPUBLICA

LIBERTATIS

LIBERTATIS

LIBERTATIS

LIBERTATIS

LIBERTATIS

LIBERTATIS

LIBERTATIS

LIBERTATIS

LIBERTATIS

LIBERTATIS

LIBERTATIS

LIBERTATIS

LIBERTATIS



ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO,
DN. STENONI BIELKEN,
Regiæ M^{tis} ac Regni Sveciæ, ad
Aulam Illustrissimi ac Celsissimi Pomeranorum
Ducis, Legato Regijq; Status bellici, per Pomeraniam,
Gubernatori Generali, L. B. in Kracke-
rum &c;

*Domino ac Mæcenati meo gratiosissimo,
Salutem, felices expeditiones, successusq; exoptatos
animitus precor.*

Illustris ac Generose Do-
mine Legate, DN. & Mæcenas gratiosis-
sime, quantô cordoliô ac luctu inspe-
ratus, beatissimus tamen ac gloriosissi-
mus obitus, Serenissimi ac Potentissimi Principis
ac *DOMINI, DN. GUSTAVI ADOLPHI*
MAGNI, Svecorum, Gothorum ac Vandalorum
Regis, Magni Finlandiæ Principis, Esthoniæ, Care-
liæq; Ducis, Ingriæ Domini &c, beatissimæ recorda-
tionis

tionis & æviternâ laude ac memoriâ digni Herois
ac Principis, non solùm Universam Sveciæ natio-
nem, sed maximam etiam Germaniæ partem, imò
Universum Christianum Orbem rectè sentientem
affecerit, tantum abest, ut paucis exprimi & enarra-
ri possit, ut vix ulla mortalis lingua, quantâ, quantâ
polleat eloquentiâ, tantæ doloris magnitudini satis
exaggerandæ ac deplorandæ par esse valeat.

Quis enim non doleat, quis non plangat, fre-
mat ac gemat, si audiat tantum Christiani orbis
Principem ac Heroa, in ipsò ætatis flore ac vigore, in
tantâ Heroicarum virtutum eminentiâ, in tam
prosperò ac gloriosò continuarum victoriarum
cursu, omnium bonorum expectatione citiùs, ho-
stili ferrò peremptum cecidisse? Imò quis idoneis ac
sufficientibus lacrymis, suspirijs ac gemitibus uti
hîc valeat? Sive namq; tam divinas Divi *μακαρίτη* do-
tes ac stupendas qualitates, sive horum temporum
malignitatem, sive urgentes status publici necessi-
tates quis spectet, non poterit non, nisi triplex circa
improbum pectus æs habeat, & Marpesiâ cavte sit
durior ac regidior, in amarissimas solvi lacrymas,
seq; totum gemebundis suspirijs ac fletibus dede-
re. In primis verò nos Germani, cur lugeamus ac
vehemen-

vehementer doleamus, causas habemus & numero plurimas & pondere gravissimas. Tot enim ab incomparabili Hoc, divinitus in afflictam & miserè turbatam Germaniam nostram misso, Principe ac Heroe in nos collata, imò quasi cumulata sunt merita ac beneficia, ut nihil unquam tam eximium mente concipi aut lingvâ enunciari possit, quod illis compensandis *ισοπρόσπον* atq; æquivalens esse aut videri queat. Quæ quidem omnia cum debita pietate ac reverentia mecum cogitarem, facere non potui, quin in subjectissimâ veneratione, *tanto Heroi ac Principi*, pro tenuitate meâ, piæ ac devotæ gratitudinis aram erigere conarer, inq; illâ internos mentis meæ conceptus atq; pios motus publicè spectandos proponerem. Quod cum nulla aliâ re præstare possem, pro exiguo ingenij mei modulò, Oratiunculam quandam funebrem composui, quam beatissimis sanctissimisq; *gloriosissimi Herois ac Principis* manibus sacram esse subjectissimè volui. Illi cum patronum ac defensorem, contra malevolos sollicitè quærerem, commodum mihi sese obtulit *Illustris Generositas vestra*, cujus, ceu præcipui Regni Svecici luminis ac fulcri, potenti ac clementi patrocinio & *me & Illam* submissè commendandam

dandam putavi. Accipiat itaq; *Illustris Generositas vestra* hanc qualemcunq; oratiunculam meam serenô ac clementi vultu, in eâq; non tam rem præstitam, quàm propensum præstandi conatum spectans, voluntatem meam clementer probet, meq; illustri ac gratiosô suo favore ac patrociniô gratiosissimè dignetur. Vivat *Illustris Generositas vestra* diutissimè, valeat rectissimè, agat felicissimè. Dabam è Museô meô 11. Martij Anno 1633.

Illust. Gen. vestra

Subjectissimus

M. MARTINUS LEUSCHNERUS,
Rector Duc. Pæd. & Philos. Prof.

Spectabi-

Spectabili ac benevolo Lectori
S. P. D.

Nlaturum est pro dolor! non ita pridem, in Pomeraniam nostram, Funus Regium Serenissimi, Potentissimi ac Christianissimi Principis ac DOMINI, DN. GUSTAVI ADOLPHI MAGNI; Suecorum, Gothorum ac Vandalorum Regis desideratissimi; Ecclesiarum Evangelicarum, oppresse justicie ac Libertatis per Germaniam Vindicis ac Recuperatoris fortissimi, augustissimi; quem cum propediem vivum & incolumem Victorem ac Triumphatorem huc reversurum speraremus, nunc per adversorum fatorum vim sublatum, non sine ingenti cordoliō, funebri luctu, infelices ac miseri prosequimur; Ipsiusq; Regie Mti, pro Triumphō Tumulum, pro letis acclamationibus lessus ac Tribenodias paramus. Quare cum invictissimus ac Christianissimus Rex non solum publicè de Univerſâ Germaniâ, sed privatim etiam de omnibus & singulis Nobis, qui hætenus durō ac insolitō Servitutis jugō ubiqve oppressi multum quiritabamur, egregiè & verè regiè sit meritus; placet, brevi quada-

dam

dam & levidensâ oratiunculâ ; cùm aliud, quod redho-
stimenti locò reponamus , nihil sit , nihil esse possit ; Ipsi
nunc inter Divos relato , promptissimam prestanda de-
bitæ venerationis ac piæ gratitudinis voluntatem , piè
declarare , & testari publicè , quantum dolorem ac mæ-
rorem , ex præmaturò & insperatò Regiæ Majestatis
Ejus obitu , animis conceperimus. Vos, omnium Ordini-
um viri eminentissimi , honoratissimi , quâ par est ob-
servantiâ , & officiorum oblatione rogamus & invita-
mus , ut ad 2. Martij diem , quem huic Actui lugubri
consecravimus octavâ matutinâ , in Auditoriò nostro
majori haut gravatim comparere , & lacrymarum no-
strarum , quas Divo GUSTAVO MAGNO piè fundere
animus est , honorati & benevoli testes apud omnes esse
velitis. Si Nos id non meremur & in facundæ nostræ Mu-
sæ ; meretur tamen laudatissimus Hic Orbis Christiani
Princeps ac Heros ; cui si vel erutos oculos nostros & vi-
tam ipsam offerremus , non tamen satis evidens debite
gratitudinis ac venerationis signum erigere valeremus.
Valete , ô viri magni , & tenebras nostras Scholasticas
denuò , Eminentiarum ac Claritatum vestrarum splen-
dore , irradiare ac illustrare benevolè dignamini. De-
prop. Stetini, 24. Febr. Anno 1633.

ORA-

ORATIO
FVNEBRIS.

DIVAM PROVIDENTIAM!

Quis novus, heu! nostris successit
sedibus Hospes?



Liceat mihi, Illustris; Celsis; Reveren-
dis; & Generosis; Principes ac DOMINI,

DNI. & Evergetæ Clementissimi; & vos ceteri Viri, Generosi,
Magnifici, Nobilissimi, admodum Reverendi, amplissimi, Consultissimi,
Clarissimi, Reverendi, Spectatissimi, Prudentissimi, Præstantissimi, Domi-
ni, fautores, amici, de venerandi, colendi, amandi; Ut &, qui Deo
& Musi sacri estis, juvenes lectissimi; liceat, inquam, mihi, in re fune-
stâ & dolorifrâ, initiô uti animo agro & perturbato convenienti.
Quis novus, inquam, Pomeraniam nostram ingressus est Hospes?
Quis? Næ magnus ille & gratus hospes! Verùm ô si sospes! O si
salvus & incolumis! ô si talis, qualem omnium vota & suspiria an-
xiè exoptabant, huc redisset! Quis tandem ille, dicitis, Hospes.
Quis autem? ô dolor! ô lacrymæ! Ille est, qui, ne nos solô extorres
patriô, apud gentes exterâs Hospitia emendicaremus, adventu antè
& subsidiô suô, secundum DEUM, solus effecit. Verùm ô diram &
atrocem Fatorum invidiam! non sospes huc redijt & incolumis, sed
morte peremptus atrocissimâ. Divus, inquam, GUSTAVUS
ADOLPHUS pius, felix, ac Triumphator; Terror im-
proborum, solatium miserorum, Veritatis Evangelicæ
vindex, & Libertatis Germanicæ propugnator acerrimus;

B b

Serenissi-

Serenissimus quondam, heu quondam ! ac Potentissimus, Svecorum, Gothorum, ac Vandalorum Rex, DN. & Liberator noster Clementissimus, paucis ab hinc hebdomadis Pomeraniam ingressus est nostram morte confossus inexpectatissimâ.

Nunc, nunc lacrymæ ubi estis ? non vanas vos appello & fallaces, quales Crocodilus prædæ carissâ fingit, sed veras & à verò profectas dolore. Lacrymæ ubi estis ? Suspiria & gemitus quid cessatis ? lugendi ac plangendi materia, heu ! heu ! datur uberrima. Cecidit, heu ! cecidit, eheu ! Divus GUSTAVUS ADOLPHUS Magnus, Sveonum, Gothorum ac Vandalorum Rex augustissimus, quem venerabatur Septentrio, stupebat Ortus, horrebat Occasus, admirabatur Meridies ; qui ingentibus animis stupendisq. victorijs Germaniam, rerum gestarum gloriâ Europam, inclytâ famâ orbem terrarum jam olim compleverat. Cecidit, ô dolor ! cecidit is, per quem stetit orbi Christiano salus, Germaniæ libertas, bonis universis incolumitas. Ah lacrymæ si quando fluxistis nunc fluite. Vos gemitus & singultus, si quando præcordiâ pulsavistis, nunc pulsate, nunc attollite, quatite concutite. Non cecidit nobis puppula, ostrô insignis & purpuræ colore ; non homuncio, cui divitiæ corpus, mentem stulticia presserit ; sed ; non vocem invenio, mentis notionem quâ eloquar : Heros, forte si dixero, cecidit, aliquid dixero ; verùm ad stupendas semidei nostri virtutes vilius illud & minutius. Vos, Auditores eminentissimi, quicquid in tantis ægræ animi mœroribus protulero, licet illud justô sit longè minus, & præsentî rerum majestati non sufficiens, id tamen rerum maximarum signum à me poni vobis planè persuasum habete. Cecidit Christiani nominis Princeps, post hominum memoriam, laudatissimus, quem sublimes heroicarum virtutum alæ jam olim supra omnes naturæ limites altissimè exexerant. Verùm quomodo cecidit, aut quæ vis tantum Heroa deicere valuit. Non levis febri-cula lecto adfixum ignavâ morte exstinxit ; sed concitus improbi Martis furor, fortiter pugnantem ac repugnantem vix tandem oppressit. Etenim ubi jam per tres ferme horas inter multa cadentium
millia,

millia, Arenuè pugnasset, confertos irruentium ordines perfregisset, multos sua manu jugulasset, hostium tormenta bellica interceptisset, à multis latronum millibus, ipse cum paucis circumventus, atq; hinc inde insidiosis telis petitus, fortiter pugnans, gloriose occubuit suiq; victoriam certissimam, hostibus autem fugam turpissimam reliquit. Contremuit tellus, cælum obstupuit, & sumptâ quasi pallâ lugubri, clarum mundo diem subtraxit; circumfusus aër, horrendis tenebris, & ominoso nebularum squalore quantum Christiani orbis lumen extinctum occideret, stupendô ac miserabili spectaculô contestari voluit. Vos Lucientes montes ac tumuli, vos loci feralis accola & incole omnes dicite, quæso, quanti fulminalium tormentorum fragores ac boatus, quanta volitantium ac cadentium globorum procellæ, quanti armorum strepitus, quàm horrendus equorum virorumq; clamor, quàmq; immanis pugnantium & occumbentium ululatus omnia personuerint. Vos denuò testor, Lucientes montes, vos appello infelicium agrorum accolæ; exponite, si potestis, exponite, quæso, quot funera Magus GUSTAVUS ADOLPHUS lethostraverit, quam fortiter pugnaverit, quanta animi magnitudine, ceu Leon rugiens, omnia pererruperit, contriverit. Confluxerat in fatalem hunc locum omne Antichristianorum exercituum robur; ultra tringinta audacissimorum militum millia in acie stabant. Tam feroces Spiritus ex immani & nefando fastu, monstrosi Cyclopes sibi sumpserant, ut vel ipsi DEO fustes (vab blasphemiam!) & cælo exitium minitari non vererentur: Verùm Fortissimus Heros GUSTAVUS Magnus, qui se jam olim, qui vitam suam, suaq; omnia vere Christi Ecclesia defendenda addixerat; qui nihil tam alienum à fortitudine putabat quàm hostium minis periculisq; perterreri, qui tam per paucos, quàm per multos Deum largiri posse victoriam noverat, non attendens, quanta hostium multitudo; suorum paucitas esset: sed divino confidens auxilio & causæ bonitate, quàm Christi esse noverat, cum duplo minori Exercitu, imperterritus & exultabundus quasi, invocato Jehovæ & Immanuelis nomine, furioso & omnis cladis securo hosti sese

opposuit, & licet mirabili Dei providentiâ, cæcò potiùs incidentis
 nebula errore & fortuitò globi ictu, quàm ullâ hostium virtute, pro
 Ecclesiæ & oppressorum salute occubuerit, victoriam tamen, fugatis
 & trucidatis multis hostium millibus, amplissimam reportavit. Ha-
 betis, P. C. quàm fortiter atq; gloriose Heros fortissimus ceciderit;
 cognovistis, quod non virtus virtuti opposita, sed fortuitus reli jactus,
 & hinc agglomerata hostiù multitudo serenissimum Christiani
 orbis Principem jugulaverit. Nunc vos, quanto hic opus sit lu-
 ctu & mærore, quantisq; planctibus ac gemitibus, mors hæc toti orbi
 Christiano maximè ominosa deploranda sit, porrò vobiscum cogitate.
 Ego sanè ne lingvas hic ad cloquendum sat facundas, nec sufficien-
 tes ad deplorandum lacrymas, si vel omnia maria suppeditarent ma-
 teriam, dari posse statuo. Etenim si Macedones suū Alexandrum
 Magnum, quem non acer Mars, sed iners Bacchus jugulaverat; si
 Romani suum Brutum, qui non animabus sed corporibus libertatem
 morte sua pepererat, si alij alios, qui de externâ civium salute pau-
 lò meliùs meriti fuerunt, ingenti luctu profecuti sunt, quid nobis fa-
 ciendum putatis, in optimi ac Christianissimi Regis funere, qui pro
 Germanâ libertate, & sinceriori religione defendenda,
 sanguinem suum ac vitam profunderere non dubitavit? Heu quiri-
 zemur & suspiremus cum Regiò Psalte Davide: O Misnia, Misnia,
 Decus Israelis & Spiritualis Sionix, in excelsis tuis Heroes
 confossi sunt! In convallibus tuis viri trucidati! Quomodo cecide-
 runt in te robusti? Rex invictissimus quomodo cecidit? Vos Lucien-
 ses montes & tumuli ne vos neve pulvia decidat super vos! Vos agri
 infelices, qui tanti Herois sanguinem improbis faucibus hausistis, ne
 vos solis radij collustrent neve pluvie super vos decidant cælitus! In
 vobis clypeus fortium fractus & dejectus est; In vobis occubuit, qui
 oleò DOMINI inunctus erat. A sanguine confessorum, ab adipe
 fortium, arcus GUSTAVI Magni non recedebat; gladius ejus
 non revertebatur vacuus: Verùm eheu! eheu! nunc arcus manibus
 excussus fortissimis perijt; nunc gladius fractus concidit. Ne indi-
 cetis Romæ, neq; annuncietis in Plateis hostium; ut non latentur
 Anti-

Samuel,
 lib 2 c. 1.
 v. 19. seqq.

Anti-

Antichristiana perfidia antistites, ut non exultent Iesuitica pravitate affecta. Vos filiae Orthodoxae Ecclesiae de GUSTAVO Magno flete, qui vestiebat vos dibapho cum delicijs, qui inducebat ornamenta aurea super vestimenta vestra. Vos Sveones & Gothi, vos Finni & Lappones; vos Livonj & Borussi; vos tandem Germani & quicumq; Evangelicae veritati addicti estis, jugi lacrymarum imbre fluite, ingemiscite ac plangite, suspirate cum Regiô Psalte: Heu quomodo ceciderunt robusti in praelio? quomodo Rex noster in excelsis confossus obiit? quomodo corona de capitibus nostris decussa est? quomodo, quem unicè amabamus, quem perpetuis precum ac votorum suspirijs saluum & incolumem exoptabamus, nobis ereptus est. Nos propediem, reducem Victorem ac Triumphatorem laeti expectabamus: verum, ô dolor! prematurâ ac dira morte praeventus, Victor quidem redit, sed vitâ, quam longissimam ipsi precabamur, orbatus. Heu quod mare, quis Oceanus oculis nostris satis lacrymarum suppeditabit, ut funestissimum hunc casum dignè deflere ac deplorare possimus. Nunquam profectò justior dolendi causa uberiorq; lugendi nobis materia fuit, quam nunc est: nullus dies tam ab omni bono omine aversus, ab omni felicitatis auguriò alienus fuit, quam octavus Iduum Novembris. Quare agite P.C. date mihi hanc operam, accommodate reduci liberatori vestro tantilli temporis usuram, mecumq; devotæ venerationis cultu funestum & doloriferum Ejus in Pomeraniam nostram ingressum excipit. ejuslissimi luctus ac mæroris lacrymas ipsi fundite, & publicè declarate, quantum doloris nicordolijq; ex prematuro ejus & inopinato obitu conceperitis.

Ego quò acrior & acutior hujus doloris sit stimulus, ab initio paucis ostendam, quantum ac qualem Res Christiana Principem ac Heroa amiserit: Hinc quàm justus sit dolor noster; quàm futillis contrâ, iniqua & perversa Antichristianæ gentis insultatio breviter subijciam. Celsitudines vestras, Illustriss., Celsiss., Reverendis & Generosissimi Principes, Domini & Evergetæ Clementiss.; ut & vos ceteri viri omnium ordinum eminentissimi, honoratissimi, quâ par est subjectione, veneratione, & observantiâ sub-

missè rogo atq; obtestor, ut mihi de tanti Principis ac Herois rebus gestis ac magnis virtutibus, tenuiter dicenti, non solum Clementissimam, gratiosam, ac benevolam attentionem accommodare, sed etiam, ubi opus fuerit; erit autem sæpissimè; minùs dignè ac concinnè res maximas proferenti veniam dare non gravemini. Ego profectò efficiam, ut, si non ubiq; scopum præfixum attigero, me tamen, ut illum attingerem, summopere annisum fuisse, omnes intelligant.

Verùm unde nunc faciam initium? quid primo, quid ultimo, quid medio loco proponam? an ab patria & natalibus Principi huic semideo laudes emendicare fas erit? Id quidem vulgò præcipiunt dicendi Magistri, factitantq; non rarò illi, qui ad solidæ laudis materiam argumenta sibi de futura prospiciunt. Verùm domi suæ habet Divinus hic Princeps, quibus se exornet, non est, quod aliunde petat. Tantâ namq; maximarum virtutum ac heroicorum facinorum gloria ejus vita præfulget, ut satis appareat, non patriam ipsi; sed Ipsum patriæ æternam gloriam & nunquam intermorituram famam peperisse. Quamquam, siquid hinc consuetudini dandum est, nulla unquam natio, nulla gens, nullus populus tot tantisq; virtutum ornamentis, tam illustribus fortitudinis brabeis, tantâ magnanimitatis rerumq; gestarum gloriâ atq; famâ claruit quot, quantisq; vetus illa Gothorum ac Svecorum natio, quam verè vaginam gentium alij appellant, nos heroum patriam, atq; regiam prisce virtutis sedem, indigitandam autumamus. Hæc enim potentissimis quibusq; gentibus ac populis per Asiam, per Europam, per Africam, primas origines sedesq; natales præbuit. Ex hac prodijt, quicquid in Asia magnanimum, in Europa terribile, in Africa potens ac validum unquam habitum fuit. Magnas Scytharum virtutes ingentesq; animos gravissimi quique scriptores celebrant: E Svedia prodierunt Scythæ. Amazonum res gestas loquitur ac miratur omnium Historicorum ætas: Et his prima è Svedia origo est: Inviçta illa Romanorum armis Parthorum gens, nullis unquam armis subigi, nulla vi superari vinciq; potuit: At fundarunt hanc gentes Scythicæ, quarum primos authores peperit Svedia. Gothi olim quæ non regna
per

Reinerus
Reinec. in
Historia
Julia par-
te. 1 fol. 11.
& seqvent.
Albertus
Crantzius
in Dania
in prol. &
seqq. Item
in Svecia
l. 1. & seqq.

per Asiam atq; Europam fundarunt? contra quos non populos forti-
 ter & feliciter pugnarunt? Ubi locorum rerum non potiti sunt?
 Habuit Eos Dominos Scythia Asiatica; habuit Asia reliqua; habuit
 Scythia Europæa; habuit Illyris; habuit Italia: Gallia etiam, Hispania,
 Sicilia, Germania, Anglia, Scotia, Dania, Livonia, Borussia,
 Illos Dominos agnovit. Et quis, quæso, locus est, quis mundi, an-
 gulus, per quem sua arma non circumtulert Gothi, quem non
 suum, virtute suâ, fecerint Getæ, Scythæ, Massageta, & ab illis ali-
 orti populi fortissimi. Sensit Martialis hujus gentis vires ac arma Re-
 gnum Ægyptium, sensit Regnum Chaldaicum sensit Persicum, Græ-
 cum, Romanum; sensere alia plurima, quæ hic recensere omnia nec
 lubet nec vacat. Habuere Gothi individuos socios ac comites Vanda-
 los, qui & ipsi non solum Galliam & Hispaniam subegerunt, sed Afri-
 cam etiam diutissimè possederunt. Patet, Auditores eminentissimi,
 qualis Svedica & Gothica virtus foris olim extiterit: verum non mi-
 nus egregia facinora domi, per tot seculorum decursus, eadem patra-
 vit. Quis enim omnia illa Heroica facta, quæ Magni Magogi, quem
 ut Schytice, ita etiam Gothica & Svedica nationis Patriarcham
 multi verè constituunt; posteri, à diluvio, usq; ad hæc nostra tem-
 pora, per tot secula patra verunt, enumerare valeat?

Vid. Carol.
 Sigonius
 de Occi-
 dentali
 Imperio
 lib. 1. & o-
 mnibus
 ferme se-
 quentibus.
 Albert.
 Krantzius
 Sveciæ lib.
 1 cap. 6. 7.
 & seqq.
 Sigonius
 de Occid.
 Imp. de
 Vand.
 Regib.
 pag. 650.

Hoc enim aggredi qui auderet, ipsi statim post diluvium, ab ipso
 Magogô Japheti filiô incipiendum & continuâ serie; per tot seculo-
 rum tractus, usq; ad hanc nostram ætatem progrediendum esset; quô
 quidem vastissimô & pene infinitô temporum intervallô, quot quæso,
 & quanta egregiorum ac Heroicorum facinorum decora in Natio-
 ne Sveonicâ, ejusdemq; Regibus ac Ducibus sese proderent? Tot pro-
 fectô ac tanta, ut nulla ingenij vis, nullaq; dicendi copia posset existe-
 re tanta, quæ illa omnia aut numerô comprehendere aut eloquiô satis
 enarrare valeret. Non enim nudius tertius Sveonica ac Gothica
 Nationis gentes ac populi in unum regnum coierunt, nec ex un-
 diquaq; confluente Hominum colluvie in unum corpus, spe impu-
 nitatis scelerum, & captandæ ex vicinis præda dulcedine, coalue-
 runt; sed antequam Romulus matrem Lupam sugeret, & Caranus,

Vid. Chro-
 nicum
 Chroni-
 corum
 Politicum
 Johannis
 Gualterij
 Belgæ, in
 serie &
 Hist. Re-
 gum Go-
 thorum ac
 Sveciæ, ex
 Johanne
 Magno
 Gotho
 pag. 410.

Ducibus

ducibus capris, Ægis prima Macedonici Regni fundamenta jaceret, jam olim illi Reges habuerant plurimos, qui potentia famâ, & latissimè diffusâ rerum gestarum gloriâ orbem terrarum compleverant. Nulla enim alia gens est, quæ Gothicam ac Sveonicam Nationem vel vetustâ originis antiquitate, vel præcellenti generis nobilitate, vel stupendâ celeberrimorum Regum multitudiue exuperet, quæq; tot Heroica facinora atq; trophæa ostentare, quot ipsa verè demonstrare valeat. Ac quis, quæso, unquam satis inter alios, quos lubenti silentiô prætermitto, laudaverit, antiquissimos illos Heroes, Ubbonem Upsalia conditorem, qui ante Abrahami tempora, circa annum à diluviô 240 vixisse scribitur; Siggonem primum, Sigtunæ fundatorem; Ericum primum, Magogi ex filiô Gethar nepotem vel abnepotem, qui circa annum à diluviô 357 tanta virtute acceptum à patre seu avô regnum gubernavit, ut à plerisq; Historicis primus Gothorum rex numeretur; Bericonem, quem circa annum à diluviô 836 communi Sveonum Gothorumq; consensu utriusq; Regni Monarcham constitutum, Ulmerugiam perdomuisse ferunt; Sigtrugum item, Svibdagerum, Asmundum, Ussonem, Hundinum, Regnerum, Hotebrotum, Attilum, Hotherum, Rodericum, Botvildum; atq; ab hoc, usq; ad Gostavum primum, Erici à Christierno occisi filium avumq; nostri Gustavi Magni Christianissimum, & primum Pontificia superstitionis ac Tyrannidis per Svediam expurgatorem & expulsorem, centum & duodecim alios, qui non interruptâ serie successerunt, quorumq; egregia facinora ac gesta Heroica, non solum hosce meos invalidos ac nimis infirmos, sed maximorum etiam quorumvis Historicorum & Oratorum lacertos ac calamos defatigare ac delassare possent.

Quinimò si illa Ego solùm, quæ Carolus nonus, divi GUSTAVI ADOLPHI nostri pater aternâ memoria dignus, terra mariq; gessit feliciter, paucis attingere vellem, satis constaret, Sveoniam nondum à veterum gloria deflexisse, degeneremve assumpsisse mores animosq; majoribus suis indignos. Quod quidem, si aliunde ascita gloriæ decora sectari luberet, non posset non Serenissimo ac
Poten-

Potentissimo Svedie Regi GUSTAVO Magno, quem nostrum
hactenus miratum est seculum, esse gloriosissimum. Verum enim verò
sicuti in domesticis divitijs externas opes assernamur, ita etiam
GUSTAVUS ADOLPHUS nihil adscititium ad laudum suarum
complementum admittit, nec vel à solò natali, vel ab antiquissi-
mâ Gothorum gente, vel à majorum suorum celebritate, suam per
omnem Europam latissimè diffusam gloriam illustrari cupit: Ipse,
Ipse vult ornare patriam, illustrare genus suum; non ab illâ orna-
ri, ab hoc illustrari. Etenim si ingentes virtutes, quas hactenus in
vivente demirati sumus, sub considerationem, dolorificâ recordatio-
ne, revocamus, dubij reddimur & incerti, homo fuerit, an potius mi-
raculum hominis. Pietatem in Christiano Principe nemo non amat,
nemo non exosculatur & prædicat. Hæc enim virtus est Reip maxi-
mè salutaris; hæc amica est parentibus, grata Deo; hæc Domi-
num conciliat, necessitudines fovet: Hæc Dei cultura est, merces
parentum, filiorum stipendium: hæc, inquam, justorum tribunal,
egenorum portus, miserorum suffragium, indulgentia peccatorum
est. Hanc qui habet, habet omnia, habet Deum patrem, cælum pa-
triam, angelos socios, sanctos confratres, mundum pedibus subje-
ctum: Hæc verè felices & fortunatos efficit, habetq; promissiones
huius & futuræ vitæ. Verùm in quò unquam mortalium major
& illustrior extitit pietas, quàm in GUSTAVO ADOLPHO
Magno? Si namq; pius prædicatur is, qui verum Deum piè & sin-
cerè, ad verbi divini præscriptum colit, omnia ad Dei gloriam re-
fert, & salutem proximi studiosè promovet, sanè impius aut irre-
liosus dici non poterit is, qui non solùm ipse omnia hæc summâ cum
devotione exequitur, utq; sui idem faciant, efficit, sed pro verâ etiam
pietate, & sincerâ Religione defendendâ ac propaganda vitam
suam profundit, suaq; periclitatur omnia. Pietas, inquam, floridum
adhuc & rubicundum GUSTAVI Magni sanguinem, veluti
flamma cælitus delapsa pingve sacrificium, hausit, exorbuit; pietas
Ipsum principem aliq; in pacis amantissimum, suo regno evocavit,
atq; tot bellorum laboribus ac periculis objecit. Ne scilicet ubiq; per
Cc Orbem

Ambro-
sius super,
Beati im-
maculati.

13

Orbem Christianum, ab impietate pietas, à superstitione Religio, à perfidia fides; veritas à falsitate & mendaciorum opprimeretur, Rex noster Christianissimus animam pie ponere, vitamque profunderè Martyr piissimus voluit. Pietas, inquam, Divo Carolo patri, Divo Gustavo ADOLPHO magno filio, toti que Sveonice Nationi fortissima & veritatis Evangelicæ tenacissima, tot bellorum arumnas, tot per vulnera pulcherrimas mortes, tantosque labores concitavit. Vos testor Antichristianæ perfidiæ columnæ Iesuitæ ac Monachi, omnium turbarum & calamitatum, per Sacrum Imperium, architecti & ersutissimi, annon, quæso innocentissimam pietatem & piissimam innocentiam vosmetipsi, in Divo Gustavo nostro, notavistis, mirati estis. Mussatis? hoc quidem vestræ invidia ac pervicaciæ est. Atenim verum fateri si vultis, negare non potestis. Pietas sanè Divi Gustavi ADOLPHI Magni nisi vestræ improbitati, ex nativa quadam generosa mentis facilitate, pepercisset, vos superbi fraterculi ex plurimis Germaniæ locis jam olim exterminati fuissetis. Nisi forte piissimus Heros in eò pietatem læsit, quod vos pietatis hostes insensissimos sua pietate, præter meritum vestrum, conservavit. Verùm mitto vos; loquantur hic omnes illi, quibus piissimi Principis vitam intueri, consilijs interesse, abdita mentis introspectare, constitutiones circa Dei cultum religiosissimas noscitur contigit, qui, quod nihil unquam vel arduum vel leve sine Deo; nullum iter, nullum prælium, nullum negotium aliud, sine præmissis piissimis precibus suscepit, nullam horam sine certis pietatis & virtutis exercitijs transegerit, & verè sciunt, & veraciter testantur. Castra ipsius non diris execrationibus blasphemarumque imprecationum ronebis; sed pijs concionibus, sed devotis & religiosis cantionibus, sed calidissimis precum suspirijs quotidie resonabant. Nec illa, tale caput cum haberent, impuros scortatores, nefandos adulteros, sceleratos incendiarios, violentos latrones, protervos pudicitie virginalis expugnatores, injustos raptores, maledicos nominis divini blasphematores, & hujus farine alios pietatis Christianæ eversores patiebantur; sed istiusmodi hominum monstra, ceu bonæ disciplinæ pestes, & nefandas Eccle-

das Eccle-

das Ecclesie maculas, longissimè arcebant, Memor enim divinissimus Heros, se Ducem Exercituum DOMINI divinitus esse constitutum, & pro Sanctis bella DOMINI gerere; se pro pietate contra impietatem, pro virtutè contra vitium pugnare; castra sua Scholam pietatis ac boni moris esse, militesq; suos verè Christo sacros, DEO, non Diabolo, militare volebat. Præterea cùm sine Temperantia & sobrietate Principem cadaver ac scelerum sentinam verè dici, sibi persuasum haberet, animamq; sicciorem, ex Socratis monitu, præ reliquis sapientiozem crederet, duabus hisce virtutibus maximè semper studuit, nullibiq; meliora concipi posse consilia judicavit, quàm in defecato cerebello, in animâ jejunâ & mente sobriâ. Hanc, hanc boni & salutaris consilij cameram, ceu Romanam curiam adibat, quoties bono opus erat consiliò; hanc, hanc, non circumstantium Consiliariorum dubitationum peram excutiebat.

Et prudenter sanè: Sobrietas enim verè mentis, sensuum, mem- Avgusta
brorumq; tutela est, castitatisq; & pudicitie munimentum: hæc
pudori proxima & honestati semper coniuncta est: hæc cuncta cum
ratione disponit: hanc qui habet, seipsum habet, & nec sordida vi- Tacit. 2.
Sylbr;
Hist.
tiorum illuviei patet, nec temeritatis illaqueatur reticulo. Contra
qui luxui & saginæ mancipati sunt, ceu ignava animalia, si cibum
suggeras, jacent torpentq;, & præterita, instantia, futura pari obli-
vione dimittunt; omnesq; illi, qui voluptatum servitio sese adstrin- Philippus,
apud Dio-
nem lib. 7.
gunt, in publicò subinde versari & in forò agere non possunt, nisi
eorum, quæ noctu fecerint, de die testimonia proferre velint. Nihil,
nihil profectò aliud menti vinò obruta accidit, quàm curribus, au-
rigâ excusso: Siquidem ut currius spoliati rectore, nullo ordine ra-
piuntur: ita quoq; animus ratione orbatu in multos incidit errores, Isocrates;
atq; ubi jam mens furore percita est, magno impetu ruit in præ-
cipitia delictorum, in Venerem, in rixas, in iurgia, in jaſtantiam,
in secretorum patefactionem: Paucis: nullum scelus tam enorme
& atrox est, in quod non incidat homo, quem in furorem Bacchi
philtrum egerit.

Tacit. 2.
Annal.
Valer.
lib 26.
pag. 244.

August.
lib. 1. de
C. D.

Achilles
Tatius
lib 1.
Clitoph.
Tacitus
12. Ann.

Cic. 1 off.

Sen. lib. 1.
de Clem.

Quod cum sapientissimus Rex cognitissimum haberet, quovis armati militis satellitio tutiorem judicavit moderatricem terpe- rantie custodiam. Inprimis vero castimoniam sibi commendatam habuit, cum nihil tam mortiferum putaret magnis ingenijs, quam libidinem, animoque per libidines corrupto nihil honestum inesse posse crederet. Quemadmodum enim apes vehementer oderunt homi- nes a coitu olidos: Ita subditi Principum libidinem execrantur, detestantur, & tanquam non diris devorant omnibus. Quapropter Rex noster Serenissimus non tantum corpus ab omni macula purum conservabat, sed omnes etiam occasiones ad impudicitiam abducen- tes sanguine viperino cautiùs evitabat. Non autem ipse solum corpus suum ab istiusmodi contaminationibus purum conservabat, sed seve- ris etiam mandatis atque edictis, idem ut a subditis militibusque suis fieret, efficiebat. Unde nemini militum, Rege Christianissimo con- scio, licebat scortum publicum secum ducere, scortationibusque & adulterijs castra Domini coinquinare. Noverat enim pudicitiam esse virtutem, qua comitem habeat fortitudinem, quodque, sicuti egre- gius pictor vultum speciosum effingit, ita & ipsa celsius consurgen- tem vitam exornet. Quare non permittebat suis, ut pellicum sese immiscerent gregi, sed ut matrimonium ritè initum colerent, cum verè judicaret, nullum esse honestius Christianæ mentis levamen, quam assumere conjugem prosteris dubijsque sociam, cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradas. Nihil porro tam putabat re- gium, quam magnanimitatis & fortitudinis laude excellere qua sanè virtutes ambæ in ipso videbantur summæ perfectionis complemen- tum assecuta. Neque enim vel animi perturbationibus, vel inanibus hominum fortunaque terriculamentis succumbebat, sed ea, quæ vide- bantur acerba, ita ferebat, ut nihil a statu natura decederet, nihil a dignitate sapientis.

Nunquam judicabat sibi contumeliam fieri: de inimico dice- bat: non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit; cumque illum in potestate sua videret, vindictam putabat, non vindicare potuisse. Sciebat enim magnum & honestum vindictæ genus esse, ignoscere, & magnam

magnam fortunam magnum decere animum; cuius sit proprium, placidum esse tranquillumq; & injurias atq; offensiones supernè de-
spicere; cum ars prima regni sit, posse te invidiam pati. Videtur autē Sen. infur-
hac in parte imitatus magnos Casares; Augustum qui Imaginem Hercule,
Historicum quidvis de se scribentem impune passus est; atq; Tibe- Sen. 3. de
rium, qui adversus convitia malosq; rumores & famosa de se & suis Ira, c. 23.
sparsa carmina firmus ac patiens subinde jaçtabat: In civitate li-
berâ lingvam mentemq; liberâ esse debere. Itaq; & divi Tacit. 11.
nissimus nôster Heros non minùs, quam illi, celsò & invicto ani- Annal.
mò ferendam istam lingvæ lubricitatem & spernendam esse cense-
bat, illamq; si ex levitate processisset contemnendam si ex insaniâ,
miseratione dignam; si ab injuria, remittendam esse statuebat.

Fortitudine, quæ munimentum humanæ imbecillitatis inex- Sen. Epist.
pugnabile est, quod qui circumdederit sibi, securus in hac vita ob- 113.
sidione perdurat, ita obfirmaverat animum, ita intrepidum pectus
muniverat, ut omnes fortunæ casus omnem periculorum magnitu-
dinem, omnes mortis terrores planè contemneret. Tormentorum
bellicorum fulmina & fragores, hastarum & gladiatorum fulgore
ac strepitus, qui meticulosis maximo sunt terrori, ipse cum voluptate
quadam audiebat: labores sudores vigilie pulveres frigora, imbres,
grandines, pluvia, inedia, molestie, quæ molliculos frangere &
exanimare solent, ipsi epulis jucundiora erant; utq; alij ad choreas
voluptatum ve ludrica, ita ipse ad pugnas, ad praelia, ad conflictus
properabat. Non post principia locò sibi cavebat, aut tutiora elige-
bat; sed in fronte ante aciem stabat, & ubi plus periculi & laboris
erat, ibi animosius sese offerebat. Non ipsum vulnera retardabant,
non fluens per membra sanguis, non inhaerentes corpori globi plum- *Plutarch
bei, sed omnia hæc minacis Martis terriculamenta ludos putabat & in Jul. Cæs.
jocos. Miramur * Iulium Casarem, quod bis & quingvages; * Idem in
* Marc. Marcellum quod tricies & novies, collatis signis, cum hoste M. Marcel.
dimicaverit; * M. Sergium, quod primùm ter & vicies vulneratus, Solinus,
deinde dexterâ amissa, ferratam sibi manum fecerit, bis captus ab * Solinus,
Hannibale refugerit; * Cynagrum militem Athen. quod non fati cap 6.
gatus * Herodo-
rus lib 6.
f. 177. Iust.
l. b. 2. p. 3.

gatus compluribus cœdibus, non amissis duabus manibus, victus
truncus ad postremum, & veluti rabida fera dentibus dimicaverit.
Verùm omnes hi, tantum abest, ut Magnum GUSTAVUM ADOL-
PHUM vincant, ut ipse potius ultrò cedant palmamq; deferant. Julio
Cæsari res ut plurimum erat cum barbaris populis, cum Asiaticis,
cum Hispanis, cum Gallis, cum Germanis, qui nec disciplinâ milita-
ri, nec genere armorum, nec belli peritiâ, nec apparatu bellicò exer-
citatissimo & laboribus quasi indurato Romano militi comparandi
erant: & nihilominus tamen hi populi, Germani imprimis, ipsi non-
nunquam dubiam fecerunt victoriam. At enim DIVUS GUSTA-
VUS ADOLPHUS, cum versatissimis in re militari populis, omniq;
armorum genere, militum robore, instrumentis bellicis plurimum
prævalentibus, non rarius, quàm Julius dimicavit, & nunquam
tamen cessit hosti, quantumvis validissimo, sed semper victor terrâ
mariq; evasit. Nec M. Marcellus Gustavo nostro, curse ante-
ponat, habet, quippe qui & ipse, si hostes cum hostibus sumptus cum
sumtibus, arma cum armis conferas, longè plura ad obtinendam
victoriam adminicula habuit, quàm noster GUSTAVUS Ma-
gnus; & Nihilominus tamen pulsus aliquando illum, Hunc nun-
quam locò cessisse cognitum habemus.

Sergius & Cynægyrus fortiter quidem pugnarunt, & perpetuam
consecuti sunt laudem: Verùm è gregarijs quoq; Divi GUSTAVI
nostri militibus, ipsis dubiam palmam qui facerent, non pauci dari
possent, ut sic non opus sit eos cum ipso GUSTAVO MAGNO con-
ferre. In memoriam vobis revocate quoties pugnaverit in Mu-
scoviâ, quoties in Livoniâ, quoties in Borussia, quoties in Germa-
niâ; quanta militum paucitate, quamq; accisis Belli nervis, quan-
tas opes, quantasq; copias, quantâ celeritate devicerit, quantas
strages ediderit; atq; sic non vetera solum, sed nostra etiam mirabi-
mini, videbitisq; nec nostro seculò deesse Hectoras, Ulysses & Her-
cules, Bellum hoc Germanicum vobiscum cogitate. Intra bien-
nij spatium, à mari Balthico, per mediam Germaniam, usq; ad
summas Alpes, omnium spe & expectatione citius progressus est. At
quibus

quibus belli subsidijs? Exiguus, aut, si rem ad immanem hostium
potentiam conferas, nequaquam aequalibus. In Germaniam primum
cum faceret impetum, bene quidem instructum & exercitatum secum
ducebat militem, sed hostibus numero non parem: Distinebatur in-
exuperabili prope locorum difficultate: Germaniam à fortissimo & nu-
merosissimo infessam milite, omnium rerum copia abundantem, omni
aditu praclusam, inexpugnabilibus prope munimentis & transituum
claustris natura permunitis, invictam aggrediebatur: quoque se ver-
tebat, non aliquot hostium turmulas, sed integros instructissimosque
exercitus sibi oppositos habebat. Nihilominus tamen, victis tan-
tis locorum difficultatibus, prostratis tot armatorum millibus, &
devicta quasi natura, ipse victor ad Alpes usque, felici progressu, pe-
netravit, & praeter innumeras pene urbes, arces, transitusque natu-
ra insuperabiles, suos fecit portus maris & fluvios Germania cele-
berrimos, Panum, Viadrum, Wartam, Sivevum, Albim, Maenum,
Rhenum, Danubium, Lycum, Salam, Visurgim, Mosellam; &
gentes praeterea fortissimas, Pomeranos, Marchiacos, Saxones,
Francos, Thuringos, Hassos, Svevos, Bavaros, Alsatos, & alias
plures; adeo quidem, ut, si divinae providentiae indultu supervi-
xisset, aut ipso duce, aut nullò aliò, res Christiana in integrum re-
stitui, Oriensque cum Occidente rursus conjungi potuisset. Verum
non merebantur nostra scelera tantum Heroa; non diuturniorem
usuram Ejus divina justitia ingratis nobis indignissimisque nostris
moribus indulgere voluit. Quare in mediò victoriarum cursu, in
mediò aetatis vigore ac flore, cum omnium votis, omnium deside-
rijs anxie expeteretur, & ceu numen aliquod suspiceretur, for-
titer occubuit; non tamen inultus, sed postquam ipse duplò mi-
nori exercitu, validissimas hostium acies pertregisset, hostem fu-
gasset, tormenta bellica ipsi eripuisset, superstitionibusque suis Duci-
bus victoriam reliquisset clarissimam. Vos, Vos hic appello, impu-
dentissimi gloriae alienae obtrectatores, qui negare non veremini, ni-
hil hinc divini subesse; dediscite hanc obloquendi assuetudinem, depo-
nite men-

Curt.
lib. 4.
Lipf in
Not ad
Tacit.
lib 1.
pag II. Et
lib. 2 de
const c 25
Bonfin.
lib 1.
derad. 1.
Olaus in
v tā Atti-
lx,

nite, mentiendi libidinem. Deus, Deus fuit cum GUSTAVO
MAGNO, cuius clementissimâ præsentia, ipse tot nova Naturæ ap-
posuit heroicorum facinorum miracula. Quod ut manifestius ap-
pareat omnibus, quæ sequentur, quæso, attendite. Rarum est in
magnâ fortunâ magna modestia, & in frequenter admodum ma-
gnam felicitatem magna comitatur humilitas & animi moderatio.
Alexander ille magnus, se Jovis filium non solum appellari passus
est, sed & iussit; atq; sic rerum gestarum famam dum augere voluit,
tali appellatione corrupit. Augustus vivus adhuc & hominem fun-
gens in provincijs esse coliq; voluit pro Deo, non in Italiâ, aut Romæ:
Cajus caligula & pius, & castrorum filius, & pater Exercituum, &
optimus maximusq; Caesar appellari voluit. Attila se Magni Nim-
rodi nepotem, divina benignitate Regem Finnum, Medorum, Go-
thorum & Danorum; Matris Urbis Deiq; flagellum, gloriabundè
& stolidè dixit; & si qui sunt alij, quos paulò feliciores rerum suc-
cessus eò dementia redegerunt, ut humanitatis fastigium se exces-
sive sibi ineptè persuaderent. At Divi nostri GUSTAVI ADOL-
PHI quanta, quæso, in tantâ fortunâ, tamq; prosperis rerum se-
cundarum successibus animi fuit moderatio, quanta modestia? Non
solum Ipse non ob blandientis fortunæ indulgentiam, intumuit, con-
ditione ve omnibus indictâ mortalibus se exemptum judicavit, sed
si qui etiam nimis res ab Ipso gestas extollerent, id agerrimè tulit,
metuens, ne forte, dum id, quod non suum, sed Dei esset, sibi adscri-
berent, Deum gravissimè offenderent. Quare nequaquam cum
precedentibus adulantis fortunæ miratoribus vesani fastus deli-
rium passus, divinos sibi sumpsit honores, sed modestissimè erga
unumquemq; sese gessit. Proceres suos, ceteros æquales suspexit, cives
paternò affectu prosecutus est, milites fratres compellavit; nullius
unquam hominis alloquium aspernatus, summâ omnes benevolen-
tiâ sibi devinctos reddidit: ita victus, ita amictus, ita tota vita
fuit, ut nisi regium in corpore decus, mens generosa, virtutes, heroi-
ca facinora Ipsum à vulgari hominum sorte secrevissent, discretio
omninò fuisset difficilima. O quàm amplus dicendi campus hinc se
m. hi

mibi aperiret, si ei in ambulare luberet; imò si temporis pateretur angustia. Verùm enim verò non possunt singula distinctè recenseri. Itaq; oratoris quasi gradu multa prætereunda, eaq; solùm, quæ mihi in mentem venire possunt, breviter tangenda sunt. Vos Auditores eminentissimi reliqua tacitis cogitationibus percurrere ac pensitate, hancq; inauditam GUSTAVI Magni clementiam ac mansuetudinem linguis, scriptis, monumentis erectisq; trophæis, per Christianum Orbem divulgate universum.

Verùm tantumne de Serenissimi Regis virtutibus? Alia nullæ supersunt? Minimè gentium. Prælucent ex divinissimâ hac Animulâ longè plures, eaq; non minus magnæ ac Reip. Christianæ salutare, quàm præcedentes. Verè enim statuebat, quod Deus in cælis est, id Regem suò modò esse in terris; & sicuti verum numen illud esse creditur, à quo, ceu perenni fonte, omnia promanant bona, quodq; cum eminenter ipsum sit bonum, mali nihil in se habet, nihil admittere aut recipere potest, ita Regem quoq; ceu visibilem Dei in terris imaginem, speculum quoddam perfectæ bonitatis omniumq; virtutum esse, nullamq; impuræ vitæ sordibus huic majestati adspargere debere maculam. Quare cum justiciâ principatum stabiliri, nihil sine eâ in Imperij administratione laudabile effici posse & regna absq; illâ nihil aliud esse, quàm magna atrocitatis sibi persuasissimum haberet, quantum potestate ceteris antecelleret, tantum etiam justis factis emicare & ante alios enitere gloriosissimum statuebat. Putabat autem tunc se justissimi Principis laudem assecuturum, si cum in se, tum in alijs firmiter jus & æquitatem servaret; si nec opulenti injustum aliquid paterentur, nec plebs contumeliam acciperet; si non ad animi libidinem, sed ad juris censuram & regulam, æquum ab iniq;vò, justum ab injustò secerneretur æqualiter; si suum unicuiq; tribueretur, nemo læderetur, honestè omnes viverent. Tantâ justiciæ amore cum flagraret, nullâ re acerbius offendebatur quàm si à potentioribus, contra fas & æquum, imbecilliores opprimi videret; nec facere poterat (quippe cum hoc verè regium crederet) quin iniquè oppressis & sine culpâ sua miseris,

D d

quacunq;

Cic. 3. off.
August 4.
de C. D.

Lipf. lib 2.
Polit. c. 10.

quacunq; ratione posset, vel cum vita sua periculò, ferret suppetias.
Prodi jam oppressa Germania, prodite partim domi vestra capti
partim in exilium ejecti Germani principes: Consurgite mi-
serè habiti Comites, Barones & alij viri nobiles: Vos Clerici,
vos cives, vos agricolæ, aut miserè afflicti, aut in exilium ejecti, aut
bonis orbati omnibus, in medium procedite; omnes & singuli publi-
cè profitemini, quantum beneficiorum divum hoc justiciæ nu-
men, quod Deus misericors ab ultimis Arctoi Orbis limitibus ad
vos misit, in vos liberosq; vestros contulerit. Surgite vos senes,
quos inaudita antea patriæ pressura excruciabant; vos viri, quos
onera durissimè premebant; vos juvenes, qui sacris Molech initia-
ti, nefanda contra Deum ac patriam arma induere cogebamini; vos
pueri puellaq;, qui parentibus orbati, fame, siti & frigore enecabimi-
ni; vos matronæ ac virgines quarum corpora spurcis libidinibus con-
taminabantur: Omnes, inquam, ordines ac status, omnes sexus &
ætates consurgite, & debitis laudum præconijs præstita vobis benefi-
cia ac merita celebrate. Tu celsissima & augustissima Saxonum
domus, regiò & Casareò sanguine, magnisq; in rem Christianam
meritis maximè nobilitata, Tu, inquam, exurge, & liberatori tuo,
qui Te Tuosq; omnes his, cum vita dispendio ex presentissimò eripuit
exitio, debitam refer gratiam, ac justum Sostri pretium persolve. Te,
ceu arcis Sionix partem primariam, diabolicus hostium furor ma-
ximè petebat; Te eversa, fundamenta Ecclesiarum Evangelicarum
labefactari & convelli posse sperabat: Tu, Tu eras petra scandali:
in Te omnis furor, omnis infernalis rabies desciebat: Te, Christi
pupillam, contingere & elidere Ecclesiæ hostibus volupe erat. Non
poterant hanc rabiem avertere, hanc nocendi sitim restringere mul-
tiplicia Tua merita privata & publica non Toti Christiano orbi nota
innocentia: non totiens iterata supplicationum & deprecationum
suspiria, decretum jam erat: funditus radicitusq; exstirpanda dice-
baris. Quod ut sub aliquò juris pretextu fieret, varijs injurijs,
contumelijs, convitijsq; ad arma sumenda irritabaris.

Quæ

Quæ cum justò dolore arripuisses, alea jacta jam erat, sat cause
præbitum videbatur inferendi belli. Agri vicinè, Tui urebantur,
oppida evastabantur, arces præsidij externi militis, contra Teipsam,
muniebantur: Indigenæ cadibus, incendijs, fame, frigore necaban-
tur: non abstinabantur à castis virginibus & matronis stupra, non à
miserè afflictis subditis latrocinia, non à Scholis ac Templis incendia:
Illud Esaviticum itentidem ingeminabatur: Exinanite, exinani-
te; diripite urite, excidite, perimite. Non bellaria solùm & poæ-
nia, quæ Hinc peti, sæpiùs antè veri vates prædixerant; sed omnia
promiscuè, nefanda & inexaturabili ingluvie, absumebantur.

Hic tuus, afflictissima Saxoniam, erat status, hæc calamitatum ac
miseriarum llias! Verùm non mitiùs reliqui Electoratus Evangelici,
non leniùs antiquissima aliæ per Germaniam familia; non Hæs-
sia, non Thuringia, non Saxoniam inferior, non Pomerania nostra, in-
anium promissionum philtro quasi ebria, non Mechelburgia, non alij
status aliæq; Resp. trahebantur. Tarpeja illa bestia, Martyrum
sangvine ad crapulam usq; inebriata, nocentissimum violentiæ suæ
virus in omnes promiscuè, plenè faucibus, eromebat, nihilq; nisi
flammas, cædes, excidia, & totalem internecionem ac ruinam, spira-
bat: imò, re feliciter succedente, sperabat. Vos Urbes Imperiales
quæ non patiebamini? quæ non fraudum technarumq; fabricæ &
machinamenta vobis intendebantur? loculi vestri nummos, ora in-
anes preces, granaria comeatus, armamentaria belli instrumenta
quotidiè mittebant, & quò unaquæq; vestrum erat impotentior &
minùs munita, eò apertiùs & violentiùs; quò potentior & vali-
dior, eò occultiùs & insidiosius petebatur. Tu Ulma, Tu Augusta
Vindelicorum, Tu Noriberga, Tu Francofurtum, Tu Ar-
gentina, Tu Magdeburgum, cum civibus tuis, in cineribus ac
rueribus, partim gemens, partim jacens, partim putrescens; vosq;
ceteræ omnes, per Universam Germaniam, liberae urbes, liberae Resp.
liberae gentes; vos vestras Ipsæ eloquimini calamitates, clades & affli-
ctiones: sanè si vel millesimam earum partem exposueritis, non bar-
baricæ solùm gentes, sed rupes etiam ac cautes illacrymabunt.

Peryissetis omnes, modis miserrimis occidissetis, extrema passi fuissetis, nisi in tempore adfuisset Leo Ille Septentrionalis, quem jam olim fata promiserant, vota optaverant, Oppressorum desideria ac suspiria poposcerant. Passim enim jaebantur voces, debellatum jam esse, aut nunc, aut nunquam Decretum Tridentinum executioni esse mandandum. Verum adfuit, divinò ductu, Heros divinissimus adfuit Sveonum ac Gothorum Rex Potentissimus, cumq; jus ab injuria, aequitatem ab iniquitate, infirmitatem à potentiâ, paucitatem à multitudine opprimi cerneret, nihil justis aequisq; intercessionibus, monitis, pacis consilijs, conditionibus oblatis obtinere posset, indutis armis justissimis, vim vi repellendam esse statuit, & ipse non esse, quàm orbem Christianum sine justiciâ, sine pace, sine fide esse maluit. O inauditum justiciæ amorem! O inusitatam miseris & oppressis succurrendi promptitudinem. Omnes gentes, omnes populi hanc beneficentiam predicabunt, nulla unquam Christiani orbis ætas de illâ conticescet. Verum enim verò, ut justiciæ semper studiosissimus fuit Heros noster fortissimus, ita non minùs clementiam sibi commendatam habuit. Non enim vera justiciæ sine clementia est, nec sine justitiâ vera clementia. Mutuas quippè ambæ hæc virtutes dant operas; illaq; ubi clementia locus esse; hæc quousq; ista progredi debeat, ostendit. Quod cum sapientissimus Rex probè intelligeret, eorumq; clementiam propriam esse sciret, qui ad Rerump. gubernacula sedent, illam semper studiosissimè excoluit, totq; ejus documenta edidit, ut omnes, quibus Ejus vel visendi vel audiendi unquam copia data est, illum, ceu numen aliquod vehementer demirati ac venerati fuerint. Et quid aliud est, ò Sveones, ò Gothi, ò Germani, quod tam acerbam vobis Regis vestri mortè efficit, quàm quòd aculeata illa & dolorifera recordatio, quàm piæ, quàm fortis, quàm justæ, quàmq; clementem amiseritis Principem, vos quotidie excruciet, ac tantum non planè enecet. Liberalitatem porrò Diocletianus Imp propriam Principum dotem appellare solitus est. Hanc enim sibi Nobilitas legem imponit, ut debere se, quod sponte tribuit, existimet, & nisi in beneficijs suis cre-
verit,

Sen. i. de
Clem.

Lætus in
Dioclet.

verit, nihil se praestitisse putet. Quid? Hominem frugi esse non ita multum laudis habet in Rege; fortem, justum, & gravem; magna Cic, pro
nimum, largum, beneficum & liberalem esse, haec sunt verè regie vir- Dejota-
tutes. An Verò Liberalis GUSTAVUS ADOLPHUS Magnus ro.
Svecorum Rex? Non liberalis, sed, quod verè dixerim, Ipsa libera-
litas. Quæ enim Liberalitas potest esse major, quàm defendendæ alie-
næ salutis causâ sua omnia seq, ipsum impendere, nullam expensa-
rum sumptuumq, magnitudinem magni aestimare, modò alijs pro-
desse possis; Religionis causâ gravissimâ bella in se suscipere, suo labo-
re ac sanguine acquirere, quod alijs possideant; inter medios armo-
rum ac bellorum strepitus ac difficultates, novas scholas & Acade-
mias fundare, veteres exornare & amplificare, Ecclesias novis redi-
tibus augere, nemini mortuum in se beneficentiæ fontem claudier
perpeti? Hæc sanè qui facit, eum ego non liberalem solùm esse judi-
co, sed numen aliquod cæleste, cujus proprium est, hominum indi-
gentiam sua beneficentiâ sublevare. At enim quantò zelò quantaq,
animi propensione Rex noster Christianissimus hæc omnia fecerit, ju-
dicare non mei est ingenij, effari non hujus balbutientis lingvæ: lo-
quatur pro me Christianus orbis universus; loquantur omnes illi,
qui res magnas magnis ingenijs judicijsq, satis aestimare possunt.
Quid nunc dicam de stupenda & planè divinâ Sapientissimi Regis
prudentia? Verba hæc non invenio: mens stupet, silet lingua, he-
bescit ingenium. Vos eminentissimi ac sapientissimi viri, qui exactio-
ri judicij & intelligentiæ acumine præcellitis, hanc rem plenius vo-
biscum cogitate & perpendite. Si tamen prudentia est, eventus
futuros præcognoscere, rectumq, de ijs formare judicium; intelligere
& deligere posse res, quæ publicè privatimq, fugiendæ aut appeten-
dæ sint, ea, quæ sibi, quæq, alijs conducant, posse dispicere; ex re con-
siliium capere; recordari præterita, providere futura, præsentia or-
dinare, uti fortunâ præbente se, & oblata casu ad consilium flectere;
hostium consilia mente præcipere, sua ita occulta habere, ne suspicio
quidem earum esse possit; profectò ego nescio, quis, post hominum
memoriam, hæc in parte GUSTAVO Magno fuerit comparandus.

Vos proceres Suedici, vos Consiliarij Regij, vos Duces militum compello, vestrò judiciò stabo aut cadam. Imò vos hostes testor, q̄vi nihil hoc in bellò tam metuistis, quàm Ipsum summum belli Imperatorem. Hic, Hic consilia vestra detexit, arcana vestra in lucem protraxit; Germanis mentes oculosq̄ aperuit; absoluto Dominatui, qui per Germaniam cudebatur, fulcra subvellit, imminentem servitutem à Germaniâ, à Suediâ, ab alijs Christianis populis, qui & ipsi obliquè petebantur, fortiter, quantum in se fuit, depulit, remq̄, Deo sit laus & gloria, eò perduxit, ut, conscientiarum torturâ multis in locis sublata, de melioribus orbis Christiani fatis, & recuperandâ exoptata pace spes sit optima. Vos Germani Principes ac proceres; vos liberae civitates & Resp. ne partam victoriam, recuperatamq̄ Libertatem denuò, quasi è manibus amittatis pro summâ vestra prudentiâ, entimini sedulò. Glaciem vobis fregit Leo septentrionalis, viam, quæ calcanda sit, monstravit, quantum virium, divinò succurrente auxiliò, satis esse possit, moriens vobis reliquit: Vos prægressum Leonem, leoninis seq̄vimini animis: præstate vos viros verè Germanos, & ne ipse frustra laboraverit, vos summâ curâ provideat. Opus hic est divinò auxiliò, quod pijs precibus obtinebitur; opus prudentiâ, quam ex beatissimi Defuncti Regis disciplinâ discite, à Deo exoptate; Opus est concordia, quam Spiritus ille pacis & concordie, ritè invocatus, vobis largietur. Tandem, ut omnibus virtutum ornamentis excellere pulcherrimum duxit venerandum hoc rare sanctimonie, prudentie, & integritatis miraculum; ita nihil unquam opinionis, omnia conscientie causâ fecit, nihilq̄ faciendum suscepit, quod solùm externus justus color & honesti prætextus, non autem internus conscientie testis approbaret. Quapropter cum Heroica ejus vita ita exactè ad virtutis ac honestatis normam, ita religiosè ad Christianæ fidei legem, conformata fuerit felicitate etiam in rebus omnibus usus fuit maximâ. Deus enim iudex justissimus vitam religiosam, honestam ac integram secundis successibus ornare solet, veraq̄ pietas hujus & futurae vite promissiones habet. Quocunq̄ itaq̄ locorum movit felicissimus hic Triumphantor,

phator,

phator, inde, quoad vixit, semper victor redijt. Fugientem ho-
stem vivus semper secutus est, sequentem nunquam habuit. Ipsiusque
fuit arma inferre ac vincere, hostis, illa relinquerere ac fugere. Quot
enim, quæso, trophæa erexit per Germaniam? quot munitissimas ur-
bes & arces vicepit? quot Exercitus, quot Duces ad internecionem
usque delevit? Ponite, quæso, vobis ante oculos, omnes Imperatorum,
omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes
clarissimorum Regum res gestas, cum ijs, quas GUSTAVUS Ma-
gnus patravit, nec contentionum magnitudine, nec numero præ-
riorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dif-
similitudine bellorum conferrari poterunt. Nec enim disjunctissima
terra citius cujusquam passibus peragrari potuissent, quam ejus,
non dicam cursibus, sed victorijs illustratae sunt. Quæ quidem
omnia tam evidentia divinitus concessæ felicitatis argumenta sunt,
ut, si quis illis minus moveatur, aut pro nefario calumniatore, aut
pro maligno veteratore habendus sit. Vixisset Hic, parum ultra no-
cumentis rei Christiana Tarpejus Lupus attulisset; haut nocuissent
illa rerum humanarum pestes, per quas infelices Lojola cineres ul-
timam mundi senectam inquietant ac perturbant: Spes fuisset opti-
ma, posse jam putrescentia agonisantis Ecclesiæ vulnera consolidari,
posse fidem Christianam ad ultimos usque Indos propagari; Orientem
cum Occidente, cum Septentrione Meridem rursus conjungi. Verum
aliud nostra meruit impietas; alia fata, ô dolor! res nostras affli-
ctissimas urgent atque circumstant. Sicuti pater degeneri filio
rem magni pretij ostendit quidem, sed non merenti rursus aufert:
ita DEUS, quem hætenus ostendit nobis Heroa, eò quod indigni-
simus, spe nostrâ citius ad se recipit, Ipsique inter beatissimos cœlites,
qui soli ipsò digni sunt, arcum Triumphalem erigit. Habetis, P.C.
quantum qualemque res Christiana Principem amiserit, habetis
quantus Heros in Luciensibus agris ceciderit; cognoscite nunc,
quam justa nobis dolendi lugendi; exigua verò, aut nulla pla-
nè Antichristiana perfidie patronis latandi causa sit.

Quam-

Quamquam, si rem rectè vobiscum reputatis, jam cognovistis. Etenim si caput verè Christiani Orbis amputatum est, quid fiet, heu dolor! de reliquò truncò? Si illum Ducem, irato numine, amisimus, sub cuius hætenus umbrâ & patrociniò tuti delitescibamus, & ab omni circumstrepentium calamitatum contagione intacti, quid boni ominari, quidve spei concipere poterimus? Solent magnorum Principum obitus magni atq; horrendi insequi casus & inexplicabiles malorum labyrinthi, tunc etiam, quando, rebus tranquillis & pace florente, fit decessio. Quid itaq; funestissimis hisce temporibus futurum, quibus orbis furit & orcus, quibus omnia in deterius ruunt & retrò sublapsa feruntur, quibus ita partium animi distrahi & exacerbati sunt, ut nihil utrinq; tam exoptetur, quàm mutua cedes & ruina exitiales? Heu, heu, heu, quis nunc excitatos bellorum motus consopire, quis immani hostium furori sese opponere valebit? Jacent nostra fulcra, quibus innitebamur, convulsa ac diruta sunt columnæ, quæ sola huic oneri ferendo videbantur: moriendo expalluit Heroica illa facies, quàm æternùm vivido colore vestiri exoptabamus. Ut vereor, ne nunc tandem nostra intelligamus bona, quum, quæ in potestate habuimus, ea amisimus! Vos Musæ, abjectis læticia instrumentis, gemite, quia caput vestrū cecidit: Vos Virtutes pallas sumite lugubres & plangite, quia decus vestrum perijt: Vos Ecclesie Evangelicæ, deposito ornatu, rivus lacrymarum fundite; quia liberator vester occidit. Mala hic, damnâ hinc, calamitates hic sunt, nihil præterea. At enim sunt forte, qui nunc pacem & nescio quod non aureum seculum sibi plenâ spe promittunt. Faxit Jehova omnipotens, hæc spes eos ne fallat. Verùm pacinè pacis fidæ amantissimus Rex obstitit? Illi moriendum fuit, pacem ut nos consequeremur! Quippe in securâ & altâ pace cum viveremus, Ipse adventu suo turbavit omnia! Ne ita qui arguantur, aut planè bardiaci stupidi, aut extremè impij & ingrati sunt! Si Serenissimi Regis in Germaniam adventus pacem turbavit, si ejus vita præpedi, quò minùs pax fieret quare pax non facta est, cum post Transactionem Lubecensem nullus hostis in Germania restaret; Serenissimus
Sveciæ

distineretur adhuc bellò Polonicò & ne virum quidem unicum,
qui hostile quid moliretur, in Germania haberet, ultroq; sese ad pa-
ciscendum offerret. Non placuit tunc pax: erat in arcanis Jesuiti-
cis, quod non quilibet Davu. posset intelligere: Nunc causa alia.
At enim ne nunc quidem pax placere videtur. Sontica causa est
& manet belli, quamdiu vel unus Evangelicae veritatis Doctor
superfuerit. Manet crudum illud Tridentini concilij decre-
tum, manet Executionis Edictum; novi quotidie conscribun-
tur exercitus; grassatur non hostilis, sed plusquam diabolicus furor
in eos omnes, quos in potestatem suam redegerint. Patet itaq; pro
dolor! animus in hostibus à pace alienissimus, patet furor immanis,
patet nocendi libido inexatiabilis. Si qua tamen spes pacis est, eâ ^{Reg. 20. c.}
conditione illa fiet, aut deteriori etiã, quã olim Benhadadus Syro-
rum Rex pacem Israelitis dabat, ut nimirum nostri cum corporis,
tum mentis oculi eruantur, nosq; in cæcis tenebris, quid tandem gra-
ves isti Christiani orbis censores in nos statuunt, audiamus. Bellum
itaq; ô dolor! relictum videmus, pacisq; per inquietata ingenia obten-
tionem esse non solum difficilem, sed etiam, nisi Deus nos benignius
respexerit, vix ac ne vix quidem possibilem. Etenim si ita cupidi pa-
cis sunt hostes Ecclesie, ut fortè aliquibus persuasum est, cur non
ab immani seviendi furore desistunt? cur ustulando, excindendo
evastandoq; omnia quotidie pergunt? cur non belli causas tollunt;
Germanie libertatem, Religioni pacem restitunt? cur deniq;
non de servandâ fide satis cavent, inq; exilium ejectos in bona resti-
tuunt sua? Quæ omnia quare hætenus facta non sint, imò ne nunc
quidem fiant, prudens facillè intelligit. Quapropter optanda quidem
pax esset, quæ nihil insidiarum haberet, quæq; conscientijs suam relin-
queret libertatem; an verò speranda sit, hostium animis ita exaspera-
tis & ad perdendum ac excindendum obfirmatis, aliorum esto ju-
dicium. De magnatibus quidem ac pijs principibus non dubita-
remus, modò turbulenta ingenia non optimas quasq; horum inten-
tiones, sui commodi causâ, everterent. Nequaquam verò illi cru-
E c dum

dum hoc, dirum ac nimis luctuosum malum satis emolliunt, qui ideò Regem pijsimum è mediò sublatum opinantur, quòd in ipso magis, quàm in Deo Homines confisi fuerint. Neq̄ enim hoc malum inde minus fiet, si DEUS pijsimum Regem sustulisse credatur, quòd impiorum Idololatriæ mederetur, quòq̄ illam in Rege Christianissimo puniret. Etenim an, quia Idololatrici homines Solem adorant, ideò è mundo Deus tollit solem? Imò si tollat, an id mundo futurum salutare? Quid? Si qui forte, missò Deò, in solò Rege confisi sunt, nec in Ipso Deum operantem agnoverunt, an ideo omnes? Tantum scelus in omnibus, absit, ut suspicemur. Imò sublatò nunc, prò dolor! Rege Christianissimo, an omnis in nequam hominibus cessabit Idololatria? an nemo deinceps humana magis, quàm divina respiciet medià? Optandum id quidem, verùm, in tanta hominum perversitate, non sperandum. Propter peccata ac enormia scelera nostra, Hunc divinitus nobis missum Liberatorem creptum esse, nemo piè sapiens negabit; inde verò aliquod tanto malo lenimentum dari nemo, nisi desperati delirij homo, sibi persuaderi patietur. Videtis itaq̄, Auditores eminentissimi, quàm uber legendi materia hìc detur, quàm urgens plangendi necessitas lacrymas exoptulet. O jugi itaq̄ lacrymarum fonte fluite, suspirijs ac gemitibus certate, habitacula vestra planctibus complete, capita cinere conspergite, cilicium & saccos induite; Ornatum vestrum & omnia voluptatis ac hilaritatis incitamenta abijcite, vera veri doloris ac luctus signa edite. Meretur hoc Rex pijsimus, qui, ut vos felices ageretur, ipse miser esse ac mori voluit: requirit hoc peccatorum vestrorum atrocitas, quæ Christianissimo Regi inopinatam ac prematuram mortem attulit: Exoptulat debita pietatis ac gratitudinis officium, quod negligere ac recusare summum esset flagitium.

Vos Sveones ac Gothi REGEM vestrum, qui Nationis vestrae gloriam ad cælum usq̄ extulit, famam utriq̄ polo & ultimis solis limitibus conterminam fecit; qui vos, ceu Pater, omnes dilexit, ceu

xit, ceu

xit, ceu aquales respexit, ceu gallina pullos suos alis, ita ipse armis contexit, & ab hostium impetu, usq; ad extremum vitæ habitum, fortiter defendit; lugete & eternanti ipsius gloriæ hoc monumentum erigite, hanc aram consecrate:

Regem nulla ferent secula futura parem.

Præferunt vobis hac in parte prælustrem imitandi exempli facem, Serenissimæ vestræ Reginae, Domina Mater; quæ diurnis nocturnisq; lacrymis suspiriosisq; planctibus, ceu turtur, gemit, quæq; Dominum ac Maritum suum non solum acerbissimè luget, sed suæ etiam vitæ impendiō si fieri possit, vobis regnoq; capite orbato restituere gestit; Domina filia, quæ in tantulâ suâ etatè tam miserabili fletu ac gemitu inopinatum Domini parentis mortem deplorat, ut nihil miserabilius dici aut cogitari possit. Quare & vos plorate ac gemite, & quantum cordolij in animis vestris, optimi ac pientissimi vestri Regis mors reliquerit, publicè testamini.

Tu Germania, cui spes salusq; perijt, cui is, qui à civium cervicibus jugum ac cædem, ab Urbibus excidium, ab agris vastitatem, ab Ecclesijs Scholisq; perniciem depulit, per mortem ereptus est, in cinere ac cilicio quiritator & juges lacrymarum fontes profundito. Vos infelices exules omnesq; injuriam passi, vindicem vestrum amisistis, gemite; vos matronæ & virgines, pudicitia vestra defensor occubuit, plangite; vos senes invalidi, fulcrum vestrum subversum est, suspirate; vos juvenes pueriq;, servator vester perijt, plorate: omnes etates, omnes sexus, omnia, quæ voce, ad quiritandum, lacrymis ad plorandum valetis, corda pulsate, ora lacerate, capitis tegumenta deponite, crines evellite, nihilq; prætermittite, quod ad testandos æros animi dolores facere possit. Cesset omnis per vicos vox jubili, canoræ fides obmutescant, non audiantur buccinæ, litui ac tympana conticescant; lacrymæ, fletus, gemitus, suspiria, threni loca compleant omnia. DEUS, DEUS vocetur in auxilium, ut insanabile hoc reip. Christianæ

Ec 2

vulnus,

vulnus ipse obliget, ipse curet, ipse consolidet; ut in locum sublatis
Heróis Hujus alium animis virtuteq; parem substituat, qui bella
DOMINI æquè fortiter gerat ac feliciter.

Nec tamen est, veritatis Evangelicæ & pacis publicæ hostes in-
felicissimi, vos quòd ita frematis, quòd ita latibundi Leoni perem-
pto, ejusq; pupillis insultetis; nunc Hæreticorum DEUM sublatum
calumniantes, nunc lascivò ore mordaciq; lingua diros sarcasmos in
afflictos projectantes. Alienò namq; malò qui gaudet, ipse est ma-
lus, malumq; sibi habet maximè propinquum. Nec, quid mali quis
patiatur, sed qualis patiatur, & quam ob causam, videndum est.
Causa si bona est, omnis mali sensus perit, nec innocenter patienti
mali perpeffio parit ignominiam. Collubitum vobis est, pura ac pia
docentes appellitare hæreticos, cujus quidem calumnie vindictam
Deo justissimo judici committimus: hoc tamen dicimus, quòd, nisi
Christus ejusq; Apostoli nos seduxerint, hæretici nos non sumus. Vo-
bis si omnis is hæreticus est, qui Christo potiùs ejusq; Apostolis, quàm
Traditionibus à vobis, contra Christi fidem, confictis, credit; esto,
simus nos hac ratione hæretici, ab impiâ vestra & perfidâ Synago-
gâ longissimè separati, & illi Hæresi, quam Christus ipse docuit,
omnes Propheta & Apostoli piè secuti sunt semper, adscripti. At enim
Deus noster, qui est pater Domini nostri Jesu Christi benedictus in
secula, mortuus non est, sed vivit auditq; blasphemias has sannas ve-
stras, nec illas impunitas dimittet. Regem ac Principem, prò dolor!
amissimus Christianissimum juxtâ ac gloriosissimum; Deum nos
amissimus. Ille, nisi improbi militis vestri latrociniò, in floridâ ætate,
corruiisset, fortè non nobis solum sed & vobis, sed & Reip. Christianæ
Universæ plurimùm prodesse potuisset. Verùm magnò nostrò malò;
nullò autem vestro bonò perijt, & quia mortalis homo fuit, commu-
nem mortalitatis sortem effugere non potuit. Quæ fecit, non per se
ipse; sed per ipsum Deum, cujus electum fuit Organum, fecit: quod
nos & piè agnoscimus & publicè profiteamur, devotisq; suspirijs
precamur, ut ipse Deus ingentem hanc scissuram, cum solus possit,
ipsiusq;

ipsiusq; hic, non nostra res agatur, sarcire & oppressa sua Ecclesia
paternè adesse velit. Atenim si Dei minister fuit, ogganitis, si ejus
bella gessit, cur, re infectâ, occubuit? cur non, ut multorum spes erat,
bellum feliciter finiit? Audio carnalem Gedeonis dubitationem: Si
est Iehovah nobiscum, quare obvenit nobis tantum hoc malum?
Verùm non ea Dei ministrorum hisce in terris felicitas est, ut ab omni ^{Judic. 2.}
mali contagione planè sint immunes; nec ideo Christianissimus ac ^{v. 13.}
sapientissimus Rex DOMINI bella in se suscepit, quòd putaret, nihil
adversi in ijs fore perpetiendum; sed quòd pro tuenda Ecclesie liber-
tate ac salute, ad omnia fata, ad omnes arumnas, & quascunq;
molestias animum gereret planè imperterritum, moriq; Ipse quàm
morientis Ecclesie intueri angustias mallet. Quare itentidem inge-
minabat illud Iobi: Simus viri fortes ad pugnandum pro populo no- ^{Lib. 2.}
stro & pro civitatibus Dei nostri: Iehova autem faciet, quòd bonum ^{Sam. c. 12.}
videbitur in oculis suis. Attamen, inquis, si justa pro verâ Ecclesia ^{v. 12.}
sumpsisset arma, non tam tragicâ morte occubisset. Falleris, quicunq;
ita calumniaris, nec sentis hoc ipso telò tuam quoq; jugulari causam.
Etenim si quicunq; in bellò occumbit, malam defendit causam, &
Deò iratò, pugnat, quid, quæso, fiet, mi homo, de tot tuis Ducibus &
Exercitibus, qui armis GUSTAVI Magni percussi hætenus fre-
quentes ceciderunt? Quid fiet, ut præcedentes omnes prætermittam,
de veteranò illo Tyllio, de Pappenheimio, de alijs pluribus, quos nu-
peri conflictus sustulerunt? Profectò si in bello mori malam arguit
causam, causam ab ipsis bonam fuisse propugnata[m] haut evinces.
Verùm mitto te: non ex eventu judicandum est, multò minùs di-
vine providentiæ arcana temere rimanda sunt. Novimus, quòd
omnes fermè Apostoli, complures primi nominis Doctores Ecclesie,
pleriq; viri magni Heroico Spiritu insignes, Martyrij coronâ decora-
ti, Evangelicam veritatem suo obsignaverint sanguine: novimus
quòd magnanimi illi Matthitæ filij, quos Maccabæos appellare
consequimur, omnes pro Religione & libertate patriâ for:iter occu-
buerint: & nemo tamen inventus & hætenus, qui id malæ causæ
Ee 3 adscriptis.

adscriptisset. Quis itaq; tam iniquus rerum estimator esset, qui sele-
ctissimum hoc Dei Organum ita criminari auderet? Quare pro-
cul hinc, ô procul abeste profani, Nolite Dominum Ipsum in mi-
nistrò; opus divinum in homine blasphemare. Si optimum est au-
gurium pugnare pro patria, divinus sanè & planè mirandus im-
petus erit, ultrò mortem oppetere pro defendendâ Christi Ecclesiâ.
Quisquid vos Antichristianæ perfidiæ satellites contrâ moliti fueri-
tis, quantumcunq; calumniarum eructaveritis, nihil agetis:
GUSTAVO Magno omnis parentabit aternitas, nulla unquam
de rebus ab Ipsò gestis atas conticescet virtutesq; ejus verè Heroi-
ca omnium gentium ac populorum scriptis ac lingvis celebrabun-
tur. Habetis Illustrissimi, Celsissimi, Reverendissime ac generosissimi
Principes ac Domini, Dn & Evergetæ Clementissimi; Vosq; cateri
viri omnium ordinum eminentissim, Patroni, Macenates & fau-
tores venerandi, colendi, amandi; habetis, inquam, qualem quan-
tumq; Res Christiana Principem ac Heroem amiserit; habetis,
quam uberem lugendi materiam infelices Luciensium campi nobis,
hei dolor! pepererint, quam profundò acerboq; luctu insperatissi-
mus Regij funeris adventus, nos infelices ac miseros, merferit, ac
tantum non planè submerferit. Vos omnes, quotquot adestis, quot-
quot abestis, in veras ac serias solvimini lacrymas; &, quia nihil
aliud, quod pro tot tantisq; in vos collatis meritis reponere possitis,
vobis supere est, gemebundis suspirijs, dolorificisq; singultibus Vi-
VO GUSTAVO ADOLPHO parentate, piam ejus memoriam
semper conservate. Vos Germani Principes, vos proceres, vos cæ-
teri indigenæ & incolæ omnes, quos Regiò suo sanguine ac vitæ pro-
fusione, lucentissimus hic orbis Heroici Sol, hic Arctoò cælo delapsus
Josua, è tantis afflictionibus ac Tribulationibus fortiter eripuit,
magno huic vestro Liberatori Sostra persolvite, gratias non so-
lum habete & agite, sed pro virili etiam referte, ipsò opere tanto-
rum beneficiorum vos semper memores fore declarate. Fregit vobis
glaciem, &, quò, quâq; eundum sit, suo docuit exemplò: Vos ne par-
tam Li-

tam Li-

tam Libertatem denuo è manibus amittatis, eximiã vestra sapien-
tiã precavete. Absit à vobis discordia, absit privati commodi
cupiditas, & nociva credendi facilitas: omnis odij atq; invidia livor
exulet: sanciatur à p̄vnsiã: deleantur omnes, siqvã esse vide-
buntur, intestinarum seditioſum ac simultatum caussa: non ad-
mittantur ad consilia vestra perfidi patrie proditores, qui sacro-
sanctam CHRISTI fidem, Germania Libertatem, Bonum pu-
blicum, & uniuscujusq; privati salutem nummis venalem ha-
bent. Josua vester finem suum, aternã cum laude assecutus est,
&, q̄vovsq; Jehovah placuit, sacrum hoc bellum perduxit:
Vos reliqvias ejus fortiter persequimini, atq; in reparanda pace
& tranquillitate publica strenuè laborate, nec cum degeneribus
Israelitis, post mortem Josuae, ab opere tam piõ ac salutari ma-
nus retrahite. Belli finis pax est atq; securitas. Ne itaq; bella ex
bellis serite, sed almæ pacis studium vel tandem aliquando am-
plectimini, fidamq; pacem & exoptatam tranquillitatem miserè
afflicta Germania atq; Ecclesie restituite. Dominus Exerci-
tuum, piè invocatus, vobis aderit, & manus vestras ad præ-
lium confirmabit, ut, ipso duce ac auspice, miserè turbatam Ger-
maniam exoptatæ quieti pristinaq; dignitati ac majestati resti-
tuere valeatis.

Quod superest, Iehova omnipotens, pater omnis miseri-
cordiæ, consolationis ac consilij, ad Te omnes & singuli, missis
ab imò pectore gemitibus, piè suspiramus: Tu Serenissimas ac Po-
tentissimas SVEDIÆ REGINAS, mæstinam DOMINAM
MATREM viduam, & DOMINAM FILIAM orbam,
totamq; Nationem Svecicam; Illusterrimum, Celsissimum, Re-
verendissimumq; Pomeraniæ Principem, DOMINUM no-
strum Clementissimum, desideratissimum, cum Universã Illustri-
ssimã familiã & cognatione; omnesq; alios per Germaniam & Uni-
versum

versum Christianum Orbem, Reges, Principes, proceres, aliosq; sta-
tus, quos funestissimus hic, & inexpectatissimus casus nimio opere
afflixit ac contristavit efficaci Spiritus tui Sancti solatio recrea-
erige, & contra tantam hanc mœroris ac doloris molem clemen-
ter sustenta: suggere ipsis salutaria consilia & felices successus,
contra Diabolicum hostium furorem innumerasq; fraudes, dolos ac
rechneras, Utq; Ecclesia tua, per Ipsos paci ac tranquillitati restituta,
usq; ad extremum mundi Diem, floreat, feliciter agat, ac per omnes
mundi angulos latissimè disseminetur, illâ omnipotenti tuâ
virtute, quâ tibi omnia vales subijcere, cle-
menter effice.

D I X I.



SERIES



S E R I E S

Regum Gothorum atqve

Sveciæ,

Ex Chronicô Chronicorum Politicô

Johannis Gualterij Belgæ; Johanne Magnô Gothô, Albertô Krantzio Hamburgensi, & Saxone Grammaticô Sialandico breviter collecta.

Rimus Gothorum ac Svecorum Rex fuisse * Lib. II. Antiq. perhibetur Magogus, Noachi ex Japheto nepos, qui & à Josepho * Scythicæ gentis pater & conditor ponitur. *Iam verò Scythas fuisse Germanicæ aut Svedicæ ac Gothicæ lingvæ, multis probat Reinerus Reineccius, qui videatur.* * In Hist. Julia. part. 1. in Regno Scythico. fol. 233 & seqq. In Regno Amazonico, fol. 219. Parte 2. In Regno Massagetico & alibi.

II. Svenno, Magogi filius natu maximus: A quo Sveonia seu Svennonia dicta videtur.

III. Gethar seu Gogus, frater Svennonis & tertius Getharum Rex.

IV. Vbbo Vpsalia conditor & frater Svennonis. Annô à diluviô præter propter 246 vixit: à quo Vpsalia dicitur, quasi Vbbonis aula. Vnde Sveonum Principes dici voluerunt Reges Vpsalenses.

V. Siggo, Sigtunæ oppidi prope lacum Melet conditor. Moritur senex circa annum à Diluvio 412. Regni 65.

VI. Ericus I. Magogi ex filiô Gethar nepos, circa annum à Diluvio, 357. Optimè Remp. gubernavit.

VII. Vddo, Sub quo & Paganica superstitione, & alia mala hanc gentem in-

tem invaserunt. Post hunc sequuntur. VIII Alo, IX, Othen,
X. Carolus I.

XI. Biorno. XII. Gothar XIII. Siggo 2. quorum res gestas
atena silentij nox obtexit. Post hos Berico, qui anno à dilu-
vio 830. cum exercitu, & fœminis patria egressus Ulmeru-
giam domuit, & regnum externum constituit.*

* Videatur, Gval-
terius in
Chronico
Chroni-
corum
pag 512.

XV. Humulphus Bericonis primogenitus, qui domi feliciter præ-
est.

XVI. Humelus ejus filius, qui filiam Danum Dania præficit.

XVII. Gothilas, H. F. qui Estones, Magnopolenses & Curetes
vincit.

XVIII. Sigthunius seu Sigtrugus, à Gramo interfectus, de quo
vid. Krantz.*

* Lib. 1.
Sveciz
c. 12.

XIX. Scarinus, qui suos tuetur contra Gramum; sed jam senex
superatur à juvene duellò.

XX. Sibdagerus seu Svibdagerus, qui Gramum occidit & Danos
subigit.*

* Gvalte-
rius l. d.

* Krantz.

lib 1. Svec

cap. 15. 16.

* Krantz.

lib. 1. c. 17.

* Krantz.

lib. 1. c. 18.

XXI. Asmundus. Svib. F. Gothie, Svedie, Norvegia Rex.*

XXII. Vffo. Asm. F. qui Hadingum in Daniam redire cogit. ibid.

XXIII. Hundingus Vff. Fr. qui cum Hadingo fœdus ad ultimum
usq. Spiritum inquit.*

XXIV. Regnerus. H. F. noverca Thorilda injuriâ ante regnum
est bubulcus.*

XXV. Hothebrotus. R. F. feliciter contra Orientales & Danos
pugnat.*

XXVI. Attilus I. Hothebroti F. qui Vpsalie moritur. Variè cir-
cumvenitur ab Vxore Danâ.

* Gvalte-
rius.

XXVII. Hotherus. Hotheb. F. Perit in conflictu contra Bounz
Rutenorum Ducem.*

XXVIII. Rodericus. Hoth. F. quietè vivit & senex decedit. ibid.

XXIX. Attilus 2. R. F. qui, occisò Frovino Duce, ab ejus liberis
ex insidijs trucidatur. ibid.

XXX. Bos-

- XXX. Botvildus. A. F. seu Nepos, qui Tyrannicè imperat, atq; in
exilium pellitur.
- XXXI. Carolus 2. Botvild. Nepos, qui in summâ pace, ad senectute-
tem usq; vivit. *ibid.*
- XXXII. Grimmerus, Sacrilegus, scurra, Pantomimus, & belua
potius, quàm Rex. *ibid.*
- XXXIII. Tordo. G. F. egregius Princeps, qui virtutibus pater-
nam abolevit Ignominiam. *ibid.*
- XXXIV. Gotharus. T. F. sub quo in Svedia fuit aureum seculum.
ibid.
- XXXV. Adulphus. G. F. patrem bonitate superat, & Danum com-
pellit ad modestiam *ibid.*
- XXXVI. Algothus Adulphi Consang. vel nepos, Princeps opti-
mus *ibid.*
- XXXVII. Ericus 2. Alg. F. qui Estonos & Curetes subijcit. *ibid.*
- XXXVIII. Lindormus seu Lindornus. Er. F. qui minus feliciter
præfuit. *ibid.*
- XXXIX. Alaricus. Lind. Nepos, qui Tyrannicè præest. *ibid.* * * Videatur etiam,
Krantz. lib. I. c. 37.
- XL. Ericus 3. Rex Eloquens & bonus. Regni Anno ejus 34. pu-
tatur CHRISTUS natus. *ibid.*
- XLI & XLII. Getticus Primog. Erici, qui Gothis; & Haldanus
secundogenitus, qui Sueonibus imperat. Horum tempore
vixit Starchaterus seu Starcuterus. * * Krantz
lib. I. c. 41.
- XLIII. Vilmerus Gettici Filius, qui devictis Rutenis, ampliat
Imperium. * * Gvelte-
rius, pag 518.
- XLIV. Nordianus. V. F. qui, dissidentibus Svecis & Gothis, valdè
laborat. *ibid.*
- XLV. Sivardus. 1. qui difficulter regnum obtinet. *ibid.* Vid. etiam
Krantz. * * Lib. I,
c. 42.
- XLVI. Carolus 3. quò regnante, reconciliantur Sveci & Gothi.
ibidem. *
- XLVII. Ericus 4. Sivardi ex Wilda nepos, qui Danos ter subijcit:

- sed dolo Haldani, fratris necem vindicantis interficitur. ibid. vid. etiam Krantz. **
- * Lib i.
c. 34. XLVIII. Haldanus, Caroli Gothorum Regis ex filia Signe nepos, qui multa feliciter gerit pro Gothis. ibid.
- * Krantz.
lib. I, c. 45. XLIX. Euginus seu Vginus, Hald. consanguineus, qui optimè præest. ibid. *
- * Krantz.
lib. I c. 46. L. Ragnaldus, qui à Sivaldo tandem interficitur. *
- * Krantz.
lib. I c. 46. LI, LII. & LIII. Amundus Regnald. Filius. Hacho vel Haco, Am. F. Sivarthus 2. interim, dum ipsi Suecia præsidet, ad Gothica sceptrâ pervenit. *
- * Krantz.
lib. I. c. 47. LIV. Ingo, qui primò Svecis, deinde, oppresso Sivartho, Gothis etiam præest. ibid.
- * Gvalt.
pag. 522. LV. Nearchus Ing. primog. qui Svecis & Gothis pacificè præest. LVI. & LVII. Froto (Froe) Ing. F. laudabili vitâ nomen Divi meretur. Vrbarius ei succedit miles optimis moribus. *
- LVIII. Ostenus, qui bellum gerit cum Norvvegis. ibid.
- LIX. Eliolmus seu Siolmus, qui per nimiam familiaritatem & ebrietatem perit. ibid.
- LX. Svercherus Eliol. F. qui patre quidè melior est, sed non diu vivit.
- LXI. LXII. LXIII. Valander, qui in patris bella succedit: Visbur avavus & malus: Domalder patre non melior.
- LXIV. LXV. Domarus Domalderi F. vel Nepos, qui contemptim vivit: Attilus 3, qui, Osteno sine liberis defuncto, Svecis imperat & multa prosperè gerit. ibid.
- LXVI. LXVII. Dignerus & Dagero Fr. qui optimè præsunt. ibid.
- LXVIII. Alaricus seu Alverus, qui bellum gerit cum Rutenis. ibid. Floret hoc tempore Haldanus pugil insignis, qui imprudens fratrem occidit.
- LXIX. LXX. LXXI. Ingemar pater, Ingellus fil. Germundus Nepos, qui omnes cum Danis bellum gerunt & per illud pereunt. ibid.
- LXXII. LXXIII. LXXIV. Haqvinus I. Germ. Filius; Egillus Aq. Fil. & Gotharus Egill. F. qui omnes bene præsunt.
- LXXV.

- LXXV. Fafo, qui patriam ab hostibus imminentibus prudenter liberat, ibid.
- LXXVI. LXXVII. Adelus pater, & Ostanus filius, qui posterior malè præst. ibid.
- LXXVIII. Ingemaricus pessimi patris bona proles, qui cognominatur Canutus, & Rusciam, Livoniam, Curetes & Danos sibi subijcit, ibid.
- LXXIX. LXXX. Holstanus, qui Gothis; & Biorno, qui Svecis præst.
- LXXXI. Ravalduus Biornonis fil. qui Svecis, Gothis & Danis præst; sed immodestè nimis tractat Danos. Circa annum Christi, 464.
- LXXXII. Svartmannus, qui æquè in Danos sevit, ibid.
- LXXXIII. Tordo, qui & ipse sevit in Danos.
- LXXXIV. LXXXV. LXXXVI. LXXXVII. Rudolphus, Hatinus. Attilus 4. Tordo, qui circa tempus Justiniani imperarunt.
- LXXXVIII. Algothus, qui optimè præsidet regno, ibid.
- LXXXIX. Gostagus, qui sevirissimam Tyrannidem, ibid.
- XC. Arthus, qui Rusciam, Livoniam & Curetes subigit, ibid.
- XCI. XCII. XCIII. XCIV. XCV. Hac qvinus 2. Carolus 4. Carolus 5. Burgerus, Ericus 5. qui omnes bene præfuerunt, ibid.
- XCVI. Torillus sive Totillus sordida avaritiæ mancipium, ibid.
- XCVII. XCVIII. Biornus 1. circa Annum Christi 764 & Alaricus qui bene præfunt, ibid.
- XCIX. Biornus 2. circa Annum Christi 800, qui Episcopos à Carolò Magno petit & pietatem ubiq; propagat, ibid.
- C. Bratemundus vel Fro, qui in pralio regnum & vitam amittit.
- C1. Sivardus, qui Deò ortus nihil Deò dignum præstat, ibid.
- CII. Herotus Ludovici Pij Synchronus, ibid.
- CIII. Carolus 6. qui bellum gerit cum Danis, ibid.
- CIV. Biornus 3. qui tandem pyrata factus Britanniam & Orcades vexat, ibid.

CV. Ingevallus seu Ingellus, qui unà cum proceribus comburitur.
ibid.

CVI. Olavus, qui regnum turbatum egregiè tranquillat. ibid.

CVII. Ingo Olaf, qui Regneri Dani filiam in matrimonio habuit.
ibid.

CVIII. Ericus 6, in arte Magica nemini secundus. ibid.

CIX. Ericus 7, cognomento Segerfel, qui plurima praclarè gerit.
ibid.

CX. Ericus 8, cogn. Aorsel, alias Sterchillus, bonus Christianus.
ibid.

CXI. Olavus Schotkonung, qui gentilitatem toto regno expellit.
Moritur circa annum Christi 1018. Sepelitur Lincopia.

CXII. Amundus Ol. F. Rex diuturnae vitae. ibidem.

CXIII. Amundus vilis, qui, quòd ex concubinà natus esset, à suis
contemnitur. ibid.

CXIV. Hacquinus Rode, qui fuit Rex optimus. ibid.

CXV. CXVI. CXVII. CXVIII. CXIX. Stenchillus, Ingo, Hal-
stanus, Philippus. Halst. F. Ingo Philippi fil. qui omnes optimè
praesunt. Anno 1080. ibid.

CXX. Ragvaldus Knaphofde Rex pessimus, qui interficitur à
Vestrogothis circa annum Christi 1139.

CXXI. Magnus Nicolai Danorum regis filius, qui Tyrannus inter-
ficitur. ibid.

* Lib. 5. CXXII. Svercherus, qui degenerat ibid. Vid. etiam Krantzius.*

c. 18. CXXIII. Ericus 9, cognomento sanctus. Anno 1150.

CXXIV. CXXV. CXXVI. CXXVII. Carolus 7. qui occiditur
1168. Canutus, qui moritur 1192. Svercherus, C. F. qui occid.
1210. Ericus 10 Can fil qui moritur 1216.

CXXVIII. Iohannes Sverch. F. cognominatus pius. ibid. Vid. etiam K.

CXXXIX. Ericus 11 cognomento blasus, qui moritur Anno 1250.

* Lib. 5. CXXX. Waldemarus ibid. Videatur etiam Krantz.*

cap. 4. CXXXI. Magnus Ladalaos 1277. ibidem.

CXXXII. CXXXIII. Birgerus M. f. Magnus occisi Ducis Erici 12 fil.
ibid. CXXXIV.


- CXXXIV. *Albertus Magni ex sorore Nepos. ibid.*
 CXXXV. CXXXVI. *Margaretha, quæ assumit Ericum XIII,
 Pom. Ducem. Anno 1396.*
 CXXXVII. *Christophorus Bavarus, qui moritur annô 1448. ibid.*
 CXXXVIII. *Carolus Canuti seu 8. qui obit Anno 1470.*
 CXXXIX. *Steno Sture, qui moritur. Anno 1504. ibid.*
 CXL. *Svanto, qui moritur 1512. ibidem.*
 CXLI. CXLII. *Steno Sture junior, cui per factiones succedit Chri-
 stiernus Danie Rex Anno 1520 Vid. Krantz.**
 CXLIII. *Gostavus Erici filius, Gustavi Adolphi avus, qui coro-
 natur Anno 1528. moritur 1560.*
 CXLIV. CXLV. *Ericus 14. Gustavi fil. cui à proceribus, propter
 certas causas, deposito, Anno 1568. succedit frater Iohannes, qui
 moritur 1592.*
 CXLVI. *Sigismundus Polonia Rex, qui à regnô excluditur à
 Carolô Gustavi Adolphi M. patre.*
 CXLVII. *Carolus 9. frater Iohannis, qui moritur 1611.*
 CXLVIII. *GUSTAVUS ADOLPHUS Magnus, Caroli Fil.
 qui fortiter occumbit, ad Luciam opp. Misnia, Anno 1632.*

* Lib. 6
 cap I.

FINIS.



Hist Germ C 344



H. A.